INSTITVTIO EORVM QVI PROPTER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM de fide examinantur, & uarijs quæstionibus tentantur, Germanicè cõscripta per Heinrychum Bullingerum, & nunc primum in Latinum sermonem conuersa per Iosiam Simlerum Tigurinum.

S. M. B.

SVMMA LXI. QVAESTIONVM *in Præfatione authoris exponitur.*

TIGVRI APVD CHRISTOPHORUM Froſch. M. D. LX.

Liber Sebastiani Hercatoris. B.

REVERENDO VIRO

DOMINO IOANNI IVELLO,

Sarisberiensi episcopo dignissimo,
Iosias Simlerus S. D.

SAEPE ego audiui cõplures pios uiros uehementer desiderare aliquod scriptum, in quo breuiter omnia ferè Pontificiorum argumenta confutentur. Multa enim dicebant docte & copiose contra illos cõscripta esse, sed non omnibus otium suppetere ad euoluenda magna uolumina: deinde his qui peregrinantur, & illis qui propter persecutorum nostræ religionis crudelitatem pia scripta clam legere coguntur, itidem libros hos magnitudine sua incommodos esse: quod ab illis non possint in itinere facile circumferri, ab his autem abscõdi & in sinum conijci. Ac memini ante annos aliquot reuerendum uirum D. Ioannẽ Parkhurstum sæpe me hortari solitum, ut quemadmodum D. Bullingerus, socer meus, quẽ honoris causa nomino, in libro quem Christianæ religionis summam inscripsit, præcipua dogmata nostræ religionis breuiter testimoniis

ſcripturarũ cõfirmauit & illuſtrauit: ita ego quoq; eodem ordine colligerem quæcunq; Pontificij contra noſtram doctrinã ex ſcripturis proferre ſolent. Addebat autẽ hunc laborem non fore mihi grauẽ & difficilem, multis autem bonis gratum & utilem. Laborẽ enim id minuere, quod multa copioſe à noſtris hominibus contra omnia Papiſtarum argumenta conſcripta ſint, itaq; nihil aliud ſupereſſe, quàm ut hæc omnia in ordinem & in compendium redigantur. Vtilitatem autem hinc æſtimari poſſe dicebat, quod cum ante multos annos à Ioanne Eccio Pontificiarum partium acerrimo defenſore, editum eſſet Enchiridion locorũ communium, multi Pontificiorum cupide id legerint, & aliquo modo in errore confirmati ſint: quare non dubitare ſe, ſi à noſtris ſimile aliquod ſcriptum edatur, multos quoque auide & aliquo cum fructu id lecturos eſſe. Atq; idipſum hinc quoq; æſtimari poſſe dicebat, quod de ſingulis quibuſdã articulis exigui libelli optime à Typographis diſtrahantur, & ſtudioſe ab omnibus legantur. Hæc & alia plura cum ille diſerte & grauiter, ut ſolet, commemoraret, facile quidem

mihi

mihi persuasit, scriptum tale gratum & utile multis fore: uerum ut ego tale opus aggrederer, hactenus nõ passus sum mihi persuaderi, non quod uoluntas deesset & priuatim gratificandi amico, & alijs etiam publice inseruiendi, sed quod abesset spes perficiendi. Postquam autem superiori anno à clarissimo uiro D. Heinrycho Bullingero breuis libellus editus est, in quo respondet ad Articulos Bauaricos (sunt enim in Bauaria, ut ferunt, quæstiones cõplures à nescio quibus Inquisitoribus conscriptæ, ad interrogandũ eos qui de fide ipsis suspecti sunt) existimaui hunc libellum cum multorum piorum uotis, tum nostri quoq; Parkhursti desiderio satisfacere posse: itaque ipsum in Latinam linguam conuerti, ut à quàm plurimis legi possit. Nam in hoc libello breuiter respondetur ad præcipua quæq; Pontificiorum argumenta, & ad illa maxime quibus simpliciores turbare, & sæpe perplexos facere solent. Equidem sanctissimæ memoriæ Philippus Melanchton, qui hactenus quasi parens quidam studiorum totius Germaniæ fuit, quẽ omnes boni mortuum in domino amant, & scripta eius ue-

nerantur, edidit etiam ipse breue scriptum, in quo respondet Ad impios (ita nanq; ille librum suum inscripsit) hos articulos Bauaricæ inquisitionis. Verum ex 61. quæstionibus, tot enim ad nos peruenerunt, tantum ad 18. respondet, quod forsan existimabat ex istis quasi fundamentis etiam ad reliquos articulos respõderi posse. Cum autem Bullingerus noster etiam simplicioribus consulere uoluerit, ad singulas quæstiones respondit. Quare eius labor post doctissimi uiri D. Melanchtonis scriptum non debet superuacaneus iudicari. Præsertim cum ille non tantum non responderit ad omnes articulos, sed in hac ipsa eius responsione nonnulla sint quæ uiris bonis nõ omnino probantur, ea scilicet quæ articulo 22. περὶ τοῦ αὐτεξουσίου scribuntur: de qua controuersia nihil ego nunc dico, uerum qui utrunque libellum legerint, & rationes allatas expenderint, facile hac de re iudicare poterunt. Hunc autem libellum ad te mitto, Iuelle doctissime, primum propter amicitiam arctissimam quæ est inter te & Parkhurstum nostrum, ut si fieri queat, hoc libello uoluntati & desiderio eius per te satisfa-

tisfaciam: sin id efficere non potuero, ut saltem aliquid habeat quo contentus esse possit, donec aliquis maioribus quàm ego copijs instructus, opus hoc quod ipse desiderat aggrediatur. Deinde uolui hoc quasi publicum testimonium extare meæ in te obseruantiæ, & tui erga me amoris, quo me olim præsentem complexus es, & eundem animum te nunc quoque retinere literis amantissime ad me scriptis declarasti. Quãuis autem dei beneficio Pontificia doctrina ex Anglia uestra eiecta & profligata sit, quo nomine omnes pij plurimũ uobis gratulantur: spero tamen ad ipsius reliquias ex simpliciorum hominum mentibus eradicandas, scriptum hoc non inutile fore. Noui enim te pro tuo studio erga ueram & puram religionem, sedulo hoc agere, ut ueteris superstitionis non tantum rami detruncentur, sed ut ipsa radicitus ex hominum mentibus extirpetur, ut illis maiore cum fructu uera Christi doctrina inseri possit. Habes autem in hoc studio cum alios multos adiutores, tum hos quoq; mihi non nomine tantum, uerum etiam ex facie notos,

homines pios ac doctos,& uere Christi epi
scopos,D.Ioãnem Parkhurstum,D. Eduí=
num Sandum, D.Robertum Hornum,ue
nerandum senem D.Ioannem Baleum, D.
Iacobum Pilkintonum,& D.Thomam Le
uerum, D.Ioannem Foxum,atque D.
Laurentium Hunfridum, quos
omnes in Christo saluere cu
pio. Tiguri idibus Au
gusti, 1560.

HEIN=

HEINRYCHI BVLLINGERI

Præfatio ad Christianum Lectorem.

CIRCVNFERVNTVR passim per Germaniam nonnullæ quæstiones manu scriptæ, aut etiam typis excusæ, quæ in hũc usum & finem conscriptæ uidentur, ut hi qui Euangelicæ doctrinæ fauent, eamq; amplectũtur, & præsertim simpliciores inter illos, perturbentur, & infirmi atq; anxij fiant, imò ut ab Euãgelio, tanquam à dubia, noua, falsa & pernicioſa doctrina deficiãt. Nã complures quæstiones ita formatæ sunt, & testimonijs sacrarum literarum sic exornatæ & confirmatæ, ut speciem aliquam ueritatis habeant. Omnes tamẽ huc spectant, & hunc scopum habent, ut cunctorum mentibus Romanam ecclesiam, eius doctrinam, mores et institutа, atque etiam abusus insinuent & serio obtrudãt, non autem Christianam ecclesiam eiusq; doctrinam & simplicem directamq; fidem. Quare propter humanam infirmitatem, & multorum simplicitatem (maxime cum ijdem persecutiones, ludibria et opprobria ferre cogantur) quandoque accidit ut nonnulli suspicionem aliquam & fastidium Euangelij concipiant: præsertim si nemo ex aduerso ipsos instituat, confirmet & consoletur. Quamobrem cum aliqui à me peterent, ut ad præfatas quæstiones responsionem breuem & simplicem conscriberem, & simul quoque res ipsas, de quibus agitur, breuiter explicarem, quo omnes uideant, cum quid de his ex sacris literis sentiendum sit, tum etiam nostram sanctam Euangelicam religionem non talem esse, qualem nostri aduersarij criminantur, & horribiliter hæreſcos accusãt: id à me impetrari passus sum.

Itaq;, deo iuuante, laborem meum impendi ad defendendam ueram religionem: siquidem id omniũ Christianorum officium est: & ad iuuandum pios, & tentationibus afflictos homines: ac pro modo gratiæ diuinitus mihi concessæ (absq; huius enim auxilio omnium hominum uelle et agere nihili est) respondi 61. quæstionibus: tot enim ad me perlatæ sunt, an autem alij plures aut pauciores habeant, ignoro. Hunc autem laborem meum, Christiane lector, rogo ut beneuolo animo suscipias, & sicuti Paulus iubet, omnia probes, et quod bonum est teneas. Atque hoc etiam in eorũ gratiam, qui hęc legunt uel audiunt, addam: si forte aliqui ipsorũ quasi defatigati sunt diuturna hac cõtrouersia in causa religionis, & cõtrarijs scriptis, cõtumelijs atq; cõuitijs: me in hoc libello huic rei maxime studuisse, ut quã breuissime et simplicissime rẽ ipsam doceã, absque contentione & rixis: idq; ad dei gloriam, & piorũ hominum utilitatem & ædificationem. Articulos uero seu locos communes, qui in his 61. quæstionibus quatenus breuitas tulit, explicati sunt, ordine subiecimus.

LOCI COMMVNES QVI in his quæſtionibus tractantur.

1. De ſancta Trinitate.
2. De ſancta Chriſtiana & Romana eccleſia.
3. De Conſtitutionibus eccleſiæ, et Concilijs.
4. De Libero hominis arbitrio.
5. De Fide & bonis operibus.
6. De Interceſsione, inuocatione, & uenératione Diuorum.
7. De Reliquijs, Imaginibus, et alijs ſimilibus rebus.
8. De Purgatorio igne, et oratione pro defunctis.
9. De Sacramentis.
10. De Baptiſmo paruulorum & Anabaptiſmo.

11. De Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti, & de utraq; ſpecie.

12. De Sacrificio Miſſæ.

13. De Pœnitentia & Confeſsione.

14. De Poteſtate ſacerdotum.

15. De Matrimonio, Votis & Caſtitate.

16. De Extrema unctione.

17. De Magiſtratu & legitima obedientia.

DE SANCTA TRINITATE. I

QVAESTIO I.

Quid sentiant de sancta Trinitate?

RESPONSIO.

EA credo de *sancta Trinitate quæ credere & sentire docet uerum sanctúmque dei uerbum. Nempe unum dũtaxat esse uerum uiuentemq; deum in sancta Trinitate, unum & indiuisum essentia, trinum & distinctum personis, deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, eiusdem potentiæ, æqualiter etiã uenerandos et adorandos. Ita nanq; docetur Deut. 6. Exod. 20. Matth. 18. Lu. 1. Ioã. 1. 3. 5. 6. 8. 9. 10. 14. 15. 16. 17. Rom. 1. & 9. 1. Cor. 8. 1. Ioan. 5. Similiter quoque ueram fidem de sancta Trinitate confitemur in duodecim articulis ueræ & indubitatæ Christianæ fidei, dicentes, Credo in deum Patrẽ, in Filium eius unigenitum, & in Spiritum sanctum. Ea uero quæ contra hanc doctrinam olim scripserunt & docuerũt, Praxeas, Arius, Macedonius, ac alij ipsis similes: itẽ ea quæcunque nostra ætate Iudæi & Turcæ, & quæ Michael Seruetus Hispanus cum suis scripsit, & quæ præterea eius discipuli nunc quoq; loquuntur, hæc omnia horreo & abominor, assentior autem ueteri sacræ Apostolicæ ecclesiæ.*

Quomodo & quid credendum sit de sancta Trinitate.

DE SACRA CHRISTIANA ET II Romana ecclesia.

QVAESTIO II.

An credant in unicam, sanctam, catholicam & Apostolicam ecclesiam?

RESPONSIO.

QVemadmodum duodecim articulis sacræ Christianæ fidei nostræ continetur & exponitur, ita etiam credo unicam sanctam & catholicam Christianam ecclesiam esse, eamq; siue sanctos qui in ipsa sunt, participes esse omnis gratiæ & donorum Christi. Nomino autem ecclesiam ~~hanc unicam & catholicam~~, propterea quod unica tantum sit uera ecclesia, extra quam nulla alia reperitur. Est ~~autem coetus seu communio~~ omnium in uniuersum fidelium, qui unquam in his terris fuerunt, quocunq; tempore aut loco ~~fuerint, uel nunc sint~~, uel adhuc erunt. Sicut uero unus est deus & dominus, neq; plures sunt dij aut domini 1. Corint. 8. Ephes. 4. ita etiam necesse est unicam duntaxat catholicam ecclesiam esse. Etsi autem hæc diuersis temporibus, & in membris suis per totum terrarum orbem dispersa est, unicum tamen spiritum habet, unam fidem, in unum uerum deum Patrem, & unicum seruatorem dominum nostrum Iesum Christum, et in Spiritum sanctum: præterea charitate & eodem animo cum omnibus fidelibus, qui nam & ubicunque illi fuerint, unita est.

Ecclesiã catholicam unã tantum esse.

Ecclesiã esse sanctam.

Ecclesia uero sancta est, hoc est, sanctificata & mundata à peccatis, & sanctimonia atque iustitia ornata & donata: idq; per gratiam dei Patris, in sanguine unici eius Filij, per uirtutem & efficaciam Spiritus sancti.

Ecclesia quare nominetur Apostolica.

Christiana aũt & Apostolica ecclesia propterea nominatur, quod à beatis Apostolis super ueram Petram, et unicum uerum atque æternum fundamentum Christum Iesum, fundata et ædificata est, & per Apostolicam doctrinam in hoc fundamento cõseruatur, ædificatur & augetur, sicuti ex D. Paulo addisci potest, 1. Corinth. 3. Ephes. 2. & 4. & 1. Pet. 2. capite.

Quomodo ecclesiæ credatur.

Obseruandum uero est, quod sicuti Israelitæ dicuntur credidisse

didisse Mosi, id est, credidisse doctrinæ & mandatis quæ ipsis à deo afferebat: ita etiã Christiani credunt sanctæ Christianæ ecclesiæ. Paulus etiam nominat ipsam columnam & fundamentum ueritatis: quoniam duntaxat unici sui pastoris Iesu Christi uocem audit, uocem autem peregrinorũ non audit. Itaque non ideo ecclesiæ creditur, quod ecclesia, hoc est hominum cœtus est, sed quod Iesu Christi ecclesia est, & unicam & æternam eius ueritatem audit, conseruat, confitetur & docet: ideoq; columna & fundamentum ueritatis nominatur. Quare ecclesiæ credimus propter Christum eiusq; ueritatem & doctrinam, quæ in ecclesia est & à ministris ipsius in ea docetur.

Nõ esse credendum in ecclesiam.

In ecclesiam uero nemini credendum est. Etenim manifestum est ecclesiam ex hominibus collectam esse, ideoq; ad rerum creatarum ordinem pertinere. Manifestum etiam est, deũ omnes hos execrari, qui confidunt hominibus, Iere. 17. Ideoq; præpositio IN, tantum tribus personis Trinitatis, in duodecim articulis fidei Christianæ adiungitur. Etenim confitemur nos credere in deum Patrem, in Filium eius unigenitum, & in Spiritum sanctum. Præterea Cyprianus & alij Patres in interpretatione Symboli diserte docent, credendam esse sanctam ecclesiam, non autem in ecclesiam credendum esse. Itaq; nihil noui afferimus, sed ea quæ ante nos Patres diligenter & aperte docuerunt.

QVAESTIO III.

Quid nomine Ecclesiæ intelligant?

RESPONSIO.

Quid sit ecclesia.

COngregationem aut cœtum omnium in Christum credentium. Germanicũ enim nomẽ ecclesiæ Kirch, quan

tum apparet à Græcis deriuatum est, qui dominum nostrum Iesum Christum κύριον, id est dominum, nominant. Quamobrẽ omnes qui Christo Iesu uero capiti & uiti frugiferæ tanquam uera membra & palmites insiti sunt, et adhærent atque adnati sunt, hi sunt utiq; Christiana ecclesia. Hanc autem interpretationem nominis Ecclesiæ, etiam in articulis fidei habemus. Etenim confessioni catholicæ ecclesiæ subiungimus, credere nos communionem sanctorum: quasi diceremus, ecclesiam nihil aliud esse quàm communionem sanctorum. Quemadmodum etiam Patres hæc interpretantur. Ecclesia uero propter has causas est & nominatur communio sanctorum. Primum, quod omnes fideles in ecclesia participes sunt & communionem habent omnium donorum & gratiæ quam Christus ipsis promeruit: imprimis remissionis peccatorum, sicut et in Symbolo statim post hunc articulum additur, Credo remissionem peccatorum, resurrectionem carnis, & uitam æternam. Deinde ecclesia cœtus est seu cõmunio sanctorum, hoc est fidelium. Nam, ut ex epistolis Pauli apparet, Apostoli & alij ueteres, fideles seu Christianos sanctos nominarunt: ppterea quod, ut supra diximus, à Christo proprio ipsius sanguine per spiritum sanctum sanctificati sunt. Quoniã uero ecclesia congregatio & cœtus est, forte ideo in nostro idiomate Kilch per l. literã, nõ ut alij Germani per r appellamus. Nam in lingua sancta populus aut ecclesia dei congregata, Kahal & Kehilah nominatur, unde nos Kilcha dicimus. Veruntamen siue Græca deriuatione Kirch siue Hebræa Kilch nominetur, res ipsa eadẽ est. Vtraque enim uox significat cœtum aut congregationem populi dei, sicuti etiam ecclesiæ nomen, quod ipsum quoq; à Græcis desumptum est. Etsi uero uniuersalis ecclesia Christi in his terris non potest ante extremum diem congregari & conuocari, tamẽ eadem nunc quoq; est spirituale, indiuisum, ac optime

Cõmunio sanctorum.

Sancti.

optime coagmentatum corpus, sub uno capite Christo Iesu; quemadmodum multa membra, quæ singula peculiares operationes habent, in uno corpore coniuncta sunt. 1. Cor 12. Ephes. 1. 4.

Diuiditur autē uniuersalis Christiana ecclesia, primum in eorum congregationem qui absoluto suo cursu terrestri, & superatis omnibus rebus corruptibilibus, nūc cum Christo capite suo in cœlis exultant, & deum in æternum celebrant. Deinde in congregationem eorum qui adhuc in his terris uiuunt, adhuc in pugna uersantur, & hic in ecclesia Christiana uiuunt, ac confitentur sese hanc spem habere, quod tempore à deo destinato peruenturi sint ad Christum caput suum, & omnes electos fratres suos. Hi uero partim ueram fidem habent, ideoq; uiua membra ecclesiæ sunt, sub capite Christo: partim carent uera fide, & sunt hypocritæ, qui tamen in externa ecclesia numerantur quandiu malitia eorum se non exerit, neq; ipsi se produnt. De his D. Ioannes ita scribit, Egressi sunt ex nobis (numerabantur ergo in ecclesia, neq; enim ex ea egredi potuissent, si in ea nunquam fuissent) sed non erant ex nobis (hoc est, non fuerunt uiua membra & uere fideles) nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum. Idcoq; nonnulli ecclesiam in interiorem seu inuisibilem, & exteriorem atq; uisibilem diuidunt. Diuiditur præterea in eorum congregationem qui ab origine mundi usq; ad Christi tempora uixerunt: & in eorum congragationem qui à Christi temporibus ad finem usque mundi fideles nominabuntur. Omnis autem congregatio singularum harum partium, catholica seu uniuersalis ecclesia nominatur: quamuis etiam omnes illæ ecclesiæ, quæ in his terris passim per omnes orbis partes unum spiritum & fidem habent, etiā uniuersalis ecclesiæ nomen habeant. Etenim in scripturis mentio fit singularium ecclesiarum in his terris: ueluti quod Paulus Romanæ, Corinthiæ, Ephesinæ,

Diuisio uniuersalis ecclesiæ.

Hypocritæ in ecclesia. 1. Ioan. 2.

& alijs ecclesijs scribit. Quemadmodum enim multæ urbes & prouinciæ uno regno continentur, & ex multis membris corpus unum coagmentatum est: ita etiam omnes ecclesiæ quæ passim per orbem terrarum dispersæ sunt, unam ecclesiam, unum regnum, & unum spirituale Christi corpus sub unico capite Christo constituunt.

QVAESTIO IIII.

An credant uniuersalem Christianã ecclesiam regi, duci, & gubernari à spiritu sancto?

RESPONSIO.

Deus ecclesiã suo spiritu regit.

AB initio deus & omni ætate populo & ecclesiæ suæ adfuit, eam rexit & gubernauit spiritu sancto per Patriarchas, Prophetas & Apostolos. Sæpe enim in Veteri Testamento ita deus loquitur, Ecce, ego uobiscum sum, deducam & defendam uos, &c. Et Christus dominus noster in Nouo Testamento inquit, Ecce, ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationẽ sæculi. Item, Spiritum meum dabo uobis, ut maneat uobiscum in æternum. Item, Vbi duo uel tres coacti sunt in nomine meo, illic sum in medio eorũ.

Matth. 28. & 18. Ioan. 14.

Quis scopus sit huius quæstionis.

Quæstio uero ista huc tendit, ut pij & simplices hac contristentur & perplexi fiant. Cum enim confitentur deũ spiritu suo ecclesiam suam regere, statim Pontificij hinc concludunt, ecclesiam non errare, neq; unquam errasse: & hac ratione arbitrantur se omnia sua comprobasse, nempe quod cuncta quæ ipsi ecclesiæ nomine & titulo hominibus obtrudunt, bona sint, & à spiritu sancto inspirata. His autem respondemus, primum ecclesiã quam ipsi ueram esse iactant, nos non pro uera ueteri apostolica ecclesia agnoscere: sicut deinde ostendemus. Deinde nõ in uniuersum negamus ecclesiam Christi non errare. Quatenus enim regitur à spiritu sancto,

Quomodo ecclesia erret aut non erret.

ſancto, & eius inſpirationi auſcultat, neq; quicquã ex ſeſe, ſed omnia ex inſtinctu et uerbo ſpiritus facit, nõ errat, neq; etiam errare poteſt. Quod ſi non in uniuerſum inſpiratione ſpiritus ſequitur, ſed ab ea recedit, aut oculos atq; aures auertit, & ſuo arbitratu agit, tum certe errat, & errare poteſt. Si autẽ quæritur, an eccleſia dei poſsit in aliquibus rebus non audire neq; ſequi inſpiratione ſpiritus: reſpondeo, apertum eſſe, neq; negari poſſe, eccleſiã dei in his terris ſæpe ſub Moſe, Iudicibus, Regibus Iſraelis & Iudæ, erraſſe: item diſcipulos Chriſti, qui tamen Chriſti eccleſia erant, ſua quoq; uitia & næuos habuiſſe atque erraſſe. Quid Dauidi, Aaroni, Petro & alijs ſanctis, atq; etiam diſcipulis Chriſti contigerit, omnibus notũ eſt. Etenim eccleſia ex hominibus utiq; non ex angelis collecta eſt. Quamuis aũt à ſpiritu inſpiretur & regatur, nõ tamen ideo tota in ſpiritũ uertitur. Seruat enim carnem & eius infirmitatem ad mortem uſq;. Quis enim ignorat ea quæ uniuerſaliter à D. Paulo ſcripta ſunt, de pugna carnis & ſpiritus non in impijs & infidelibus qui extra eccleſiam ſunt, ſed in fidelibus & membris eccleſiæ? Hæc autem pugna adeò aſpera & acris eſt, ut ſancti non ſemper id faciant quod bonũ & iuſtum eſſe norunt, & quod faciendum ipſis erat. Legantur Pauli uerba Galat. 5. & ad Rom. 7. cap. Idẽ tamen Apoſtolus Corinthios & Galatas ueras eccleſias Chriſti nominat, ut quæ purificatæ ſint ſanguine Chriſti & eius ſpiritu regantur: & tamen eaſdẽ eccleſias grauiũ errorum & uitiorũ accuſat, atq; hortatur ut reſipiſcant & pœnitentiam agant. Quamobrẽ errarunt utiq; præſtantiſsimæ iſtæ Apoſtolicæ eccleſiæ. 1. Cor. 1 & Galat. 1. 3.

Verum obijcitur nobis ex Canticis canticorum Solomonis, & ex 5. capite epiſtolæ Pauli ad Epheſios, eccleſiã formoſam admodum eſſe, abſq; macula & ruga. Sed hæc D. Auguſtinus ita interpretatur, puritatem & ſanctitatem in hac Quomodo eccleſia Chriſti ſit abſq; macula.

uita inchoari, in futura autem uita, cum per mortem carnem nostram sepoſuerimus, plene demũ perfici, ut tum nullam maculã aut næuum habeamus, ſed perfecte puri ſimus. Quibus addimus, Chriſtũ omnem hanc cauſam in Euangelio aperte explicare his uerbis: Qui lotus eſt, non opus habet niſi ut pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Et alibi: Omnẽ palmitem qui fert fructum, purgat pater ut fructum copioſiorem afferat. Iam uos puri eſtis propter ſermonem quem locutus ſum uobis. Non tantũ eccleſiam puram eſſe ait, ſed totam puram: imò fructum proferre: & tamen nihilominus loquitur de ablutione pedum, & de purgatione quam Pater faciat. Ex quibus omnibus facile intelligimus, eccleſiam propter gratiã dei & Chriſti liberationem purã eſſe: ſed ſua natura, & propter infirmitates carnis, quam uſque ad mortem nõ abijcit, adhuc ablutione & purgatione opus habere. Quandoquidem ſemper orat, Remitte nobis debita noſtra, ſicut et nos remittimus noſtris debitoribus. Et ne nos inducas in tentationem. Quin & D. Ioannes Apoſtolus ait, Si dixerimus nos peccatum non habere, noſipſos fallimus, et ueritas in nobis non eſt, 1. Ioan. 1. Liberati autem miſera hac carne plene puri ſumus in futura uita, formoſi abſq; omni macula. Quandiu uero ſancti in his terris uiuunt, neq; à carne ſua penitus liberati ſunt, ſuam infirmitatem ſemper retinent. Atq; ex hac cauſa eccleſia errare & labi poteſt: quæ tamen ideo quod in petra fundata eſt, non mouetur: & quandiu uocem paſtoris ſui audit, et eam ſequitur, nõ errat.

Ioan. 13. Ioan. 15.

QVAESTIO V.

Quomodo aut ex quibus notis eccleſia Chriſti agnoſci poſsit?

RESPONSIO.

Præcipue

PRæcipue ex uera fide & puro uerbo dei, ex charitate & innocentia aut emendatione uitæ, & ex constanti inuocatione dei in tolerantia. Etenim Christus aperte inquit, Qui ex deo est, uerbum dei audit. Item, Oues meæ uocem meam audiunt, uocem autem alienorum nequaquam audiunt, sed fugiunt ab ea. Ac rursus: Ex hoc cognoscent omnes quod discipuli mei sitis, si charitatem habueritis alij in alios. Et D. Paulus: Solidum fundamentum dei stat, habens sigillum hoc, Nouit dominus qui sint sui: &, Discedat ab iniustitia omnis qui nominat nomen Christi. Item, Omnis qui inuocauerit nomen domini, saluus erit. Præcipua signa ecclesiæ.

Huc etiam spectant sacrosancta sacramenta, ut externa signa Christianæ ecclesiæ, quæ dominus nobis commendauit ut suscipiamus, neque aspernemur: sicuti etiam sancti ea obedienter & uera fide susceperunt: idq; cognosci potest ex Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24 capite. Item Actorum 2. 8. 10. & c. 1. Corinth. 10. & 11. cap. Quoniam uero multi pij qui uera ac uiua membra Christi sunt, sæpenumero sacramentis carent, non ex contemptu aliquo, sed ex necessitate, interea tamen nihilominus uera fide, spiritu, charitate & emendatione uitæ, Christo ac membris eius uniti sunt, & se in pietate exercent, nolui quidem sancta hæc signa omittere: priora tamen ut præcipua nominaui, ex quibus uera ecclesia agnosci possit. Sacramenta esse signa ecclesiæ.

Verum Pontificij arbitrantur, & dicunt ordinariã Episcoporum successionem in ecclesia & spirituali gubernatione, esse uerum & legitimum signum ecclesiæ Christi, & quia talis successio sit in Romana ecclesia, ipsam quoq; esse ueram & ueterem ecclesiam, & ueram ecclesiæ gubernationem habere, ita ut omnes qui extra huius gubernationẽ sunt, etiam extra ueram ecclesiam sint. Successionem autẽ nominant continuatum ordinem, ita quod semper Pontifex De successione episcoporum.

aut Episcopus in alterius antecedentis locum successerit, & substitutus fuerit, ac ecclesiam gubernarit, à D. Petro Apostolo usque ad hunc Pontificem Paulum III I. Verum ipsi hoc loco in eo potissimum errant, quod in successione firmissimum est & aliquid probare & euincere possent: nempe, si quemadmodū in locum D. Petri & piorum episcoporum successerunt (ut eos successisse concedamus) & cum obtinent, ita etiam ipsorum successores essent in spiritu Christi, in doctrina, fide, grauitate, pietate, humilitate & patientia. Quoniam uero hoc quod præcipuum est, illis deest, sicuti omnes nouerunt & experiuntur, ita ut non opus sit ulteriori probatione: eorum oratio de successione inanis quidam sonus est, quo oculos simplicium fascinant. D. Paulus, Estote, ait, imitatores mei sicut & ego Christi: ex quibus uerbis facile apparet imitationem & successionem in Christo tantum efficacem esse, itaque extra hunc inefficax est, neque quicquam probare potest. Quin etiam in ipsorum Canonibus ita scribitur Distinct. 40. Non est facile stare in loco Petri & Pauli, & tenere cathedram regnantium cum Christo. Quia hinc dicitur, Non sanctorum filij sunt qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum. Nos qui præsumus, non ex locorum uel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus nec urbium claritate, sed fidei puritate. Non cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram: non locus sanctificat hominem, sed homo locum sanctificat. Non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus est sacerdos. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit cathedræ: qui male sederit, iniuriam facit cathedræ. Docetur autem his uerbis, cathedram in qua antea sancti episcopi sederunt, aut successionem, nihil ex se conferre, nisi is qui in locum sanctorum successit, ipse quoque sanctus sit, & pios præcessores

Successio nihil probat.

fores suos imitetur. Sin minus, tum non modo nullum honorem eum à cathedra accipere, sed cathedram etiam iniuria afficere. Quamobrem considerent nunc Pontificij, quem nam honorem ex sua successione habeant, quam nobis, ut ignominia nos afficiant, subinde obijciunt. Summi Pontifices & sacerdotes uniuersi qui Christi ætate in Mosis cathedra sedebant, successionem suam ad Aaronem usque commemorare poterant, sed quia doctrina & uita eorum, dissimilis erat doctrinæ & uitæ Aaronis ac aliorum piorum sacerdotum, nihil illis profuit successio contra Christum & Apostolos: neque hi falsi doctores fuerunt aut extra ueram ecclesiam aberrarunt, ideo quod Pharisæi successionem demonstrare poterant, quam ipsi non habebant. Etenim uerbum dei & Christi institutio illis sufficiebat. Quare cum nos hodie quoque uerbum dei & Christi constitutionem à nostris partibus habeamus, nulla ordinaria successio episcoporum efficiet ut non simus Christiani, sed separati ab ecclesia sanctorum. Historiæ Pontificum & Episcoporum etiam ab ipsorum amicis & fautoribus conscriptæ, testantur ingentem numerum Pontificum, imò ferè omnes, per summam turpitudinem, per Simoniam, malis artibus, ui, cædibus & proditione sedem hanc conscendisse: quare si Pontificij rem exactius expenderent, maiori prudentia nusquam de Pontificia successione gloriarentur, neque ullam eius mentionem facerent, quo malum hoc & turpitudo ipsorum minus appareret. Verum deus hæc ita fieri uoluit, ut ueritas patefieret, & pij admonerentur, & sub uno ueroq; capite Christo in ueram Christi ecclesiam denuo colligerentur.

Successio Pontificum cõtra Christum & Apostolos.

Successionem ordinariam degenerare.

Olim apud ueteres ante mille annos usitatum fuit, ut diceretur Sedes Apostolica, Sedes Antiochena, Alexandrina, Romana. Sedis autem nomine non tantum sedem intellige-

De sede Apostolica.

bant ex qua Episcopi illarum urbium docebant, sed potius doctrinam quam Apostoli & eorum discipuli initio in his urbibus prædicarunt. Ideoq; ueteres Episcopi, qui legitime ab ecclesia electi, sedem aliquam conscenderunt, Apostolicam doctrinam ex Apostolorum scriptis prædicarunt, defenderunt, & in ecclesia conseruarunt atq; propagarunt. Vbi uero nunc est sedes Apostolica, libri & conciones Apostolorum, & sancta ipsorum uita? Quid autem docent & prædicant, aut qualem nam uitam hi agunt qui de Apostolica sede gloriantur? An non prædicant? an non potius regunt contra Apostolorum doctrinam? Neque hoc loco uerbis & prolixa demonstratione opus est, omnes homines uident, sciunt & experiuntur, etenim ita turpiter contraria agunt Apostolis, ut si denuo redirent Apostoli & ueteres Episcopi, & pompam ac fastum, quo nunc in sua gubernatione Pontifices & Episcopi utuntur, cernerent, non modo hos non agnoscerent pro ordinarijs successoribus, uerum hostium loco haberent & accusarent. Paulus quidem de hac successione Pontificum & Episcoporum bene in Actis 20. cap. loquitur, Ego enim noui hoc, quod post discessum meum ingressuri sint in uos lupi graues, non parcentes gregi. Et ex uobis ipsis exorientur uiri qui loquentur peruersa, ut discipulos post se abstrahant. Cum uero Paulus hæc loqueretur, quis quæso sanctior erat sancto cœtu discipulorum Pauli? Nihilominus tamen ait, Ex uobis, ex uobisipsis, inquam, egredientur uiri mali atque peruersi, qui perdent & uastabunt gregem Christi. Itaque non mirum est Romæ, & alijs in locis, olim pios Episcopos fuisse, in quibus nunc planè alij homines peruersæ doctrinæ & uitæ resident. Cum uerò Paulus addat, hæc statim post mortem aut discessum eius futura esse. Facile intelli-

Quid Paulus de Pontificiorum successione docear.

intelligere possumus, nullius authoritatis esse Pontificiorum orationem, qua aiunt, Impossibile esse ut errores in ecclesia tam diuturni sint, neq; dominum pati ut corruptio tam diu duret: item, Impossibile esse ut in illis locis, in quibus Apostoli prædicarunt, & tot sancti Episcopi fuerunt, nunc omnis deprauatio & corruptio regnet. Etenim omnes uident qualis sit cõditio & status harum rerũ: deinde, quod cũ dolore dico, notũ est sub quali gubernatione & in quàm misera corruptione sint uetustissimæ & præcipuæ ecclesiæ Orientis. Quinetiam sancti Prophetæ et Apostoli hac de re fideliter nos monuerunt, & hæc omnia prædixerunt, ne his offendamur, sed ut eò magis caueamus, ne à quoquam seducamur.

QVAESTIO VI.

An credant Christianam ecclesiam non modo uisibilem uerum etiam inuisibilem esse?

RESPONSIO.

Distinctionem aliquã hoc loco adhibere oportet. Nam cœtus sanctorum in cœlis, fidelibus qui in terris agũt inuisibilis est, quamuis oculis fidei eos cernamus, desiderantes unà cum illis quiete & gaudio frui. Præterea cum solus deus nouerit corda, & solus sciat qui nam fideles aut infideles sint, multi autem homines se fideles esse prædicent, qui tamen falsi & hypocritæ sunt: id quod tamen solus deus uidet: item cum sæpe homines iudicent miseros aliquos peccatores à deo reiectos esse, qui tamen à deo non sunt separati, sed corde suo melius in deum affecti sunt quàm nos sciamus, quos rursus solus deus nouit: hac quoq; ratione ecclesia Christi inuisibilis nominatur. Præterea quoniã uniuersalis Christi ecclesia nunquam simul congregatur ut eam uidere pos-

simus, usq; ad extremum diem & iudicium domini nostri Iesu Christi, rursus hac de causa ecclesia Christi inuisibilis nominatur. Non autẽ nominatur inuisibilis, quod nulla sit aut nusquam sit: libenter enim confitemur ecclesiam Christi in his terris uisibilem quoque esse. Manifestum nanque est coetum Corinthiorum, Ephesiorum, Philippensium, &c. à Paulo ecclesiam nominari: omnes autem nouimus harum ecclesiarum fideles homines uideri potuisse, quamuis interea spiritus & spiritualia dona inuisibilia fuerint, nisi quatenus se per uarias uirtutes exerebant. Sed quid hac quæstione opus erat? Aut quænam utilitas ex ipsa fidelibus accedit? Sed alii ud isti spectant, & cupiunt Pontificem & Episcopos ac alios primates agnosci pro uisibili repræsentatiua ecclesia, & illis omnem potestatem in ecclesia concedi uolunt.

QVAESTIO VII.

An credant Romanam ecclesiam, ueram catholicam ecclesiam esse?

RESPONSIO.

An Romana ecclesia sit catholica ecclesia.

ECce hic scopus eorum est, huc omnes de ecclesia quæstiones tendunt, ut confiteamur, Romanam ecclesiam nostræ ætatis, cum suo capite Romano Pontifice, esse ueram et unicam Christi ecclesiam, cui fideles per uniuersum orbem credere debeant absq; omni quæstione & contradictione: quemadmodum etiam ex sequentibus aliquot quæstionibus manifeste apparebit. Est autem hæc quæstio admirabilis & absurda, perinde ac si aliquis quærat, An ciuitas in aliquo regno posita, sit uniuersum regnum? aut, An homo in aliquo cœtu sit uniuersus cœtus? uel, An manus aut pes alicuius corporis, totum corpus sit? Ante enim ostendi Catholicum idem esse quod uniuersum: interim non ignoro Catholicum etiam accipi pro uere fideli. Huiusmodi autem quæstiones animum insipien-

insipientem, aut certe ingentem & intolerabilem arrogantiam produnt, quod scilicet pars una pro toto agnosci velit, & omnium rerum potestatem atq; imperium obtinere in toto regno, cœlo, & corpore. Quamobrem ad hanc quæstionem, An Romana ecclesia sit uera & catholica ecclesia, ita respondeo. Si quæritis de prima sancta Romana ecclesia, ad quam Paulus epistolam ad Romanos nominatam, scripsit, in qua etiã per biennũ captus mansit et prædicauit, confiteor ueterẽ hanc Romanã ecclesiã uerã & fidelẽ ecclesiã Christi esse, non tamen uniuersalẽ, aut caput omnũ ecclesiarũ, sed tantũ membrũ uniuersalis ecclesiæ, sub unico capite Christo, æqualis potestatis & authoritatis cum alijs Christi ecclesijs quæ in terra sunt, sic ut ipsius ministri non sint maiores aut potiores aliarum ecclesiarum ministris. Idem nanque etiam D. Hieronymus de Romana ecclesia & eius episcopis scripsit, his uerbis: Nec altera Romanæ urbis ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Vbicunque fuerit episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, &c. eiusdem meriti, eiusdem est et sacerdotij. Quibus uerbis docet Romanam ecclesiam alijs ecclesijs per totum orbem similem esse, neque maiorem esse dignitatem aut excellentius sacerdotium Romani episcopi, quàm aliorum episcoporum in paruis uel magnis urbibus.

Quid sentiendũ sit de ueteri Romana ecclesia.

Sin autem quæritis de Romana ecclesia, qualis nunc est sub his pontificibus, & iam à centenis aliquot annis fuit, hæc planè dissimilis est ueteri primæ Romanæ & Apostolicæ ecclesiæ, ideoq; p uniuersali seu Catholica ecclesia, qualem se esse iactat, agnosci non potest. Signa enim ueræ ecclesiæ Christi Romæ & alibi ab Apostolis ædificatæ, non amplius in ipsa inueniuntur. Nempe spiritus Christi, qui amat pura, modesta, et humilia corda, ac fugit impuritatem, omnẽq; arrogantiam & fastum. Verbum item ueritatis, & unica il

Nouã Romanam ecclesiam nõ esse catholicã ecclesiã.

la nox pastoris, non tantum in Romana ecclesia non amplius sola & pura reperitur ac prædicatur, uerum etiam uexatur, & gladio ac igne oppugnatur: contra uero hominū doctrinæ, quæ Christi uerbo aduersantur, ui & fraude hominibus obtruduntur. Simplex illa fides, quæ omnem salutem ascribit unico mediatori dei & hominum, uero deo & homini domino nostro Iesu Christo, obscuratur: & quæ duntaxat in Christo quærenda erant, in creaturis & hominum figmētis indicantur. Inuocatio solius dei per unicum aduocatum Christum, à deo auertitur & multis creaturis distribuitur: & illæ præterea imaginibus repræsentantur, quæ ueneradæ simplicibus, imò omnibus Christianis hominibus in templis proponuntur. Sacramenta Christi impudenter quæstui habentur, & ita hominum opinionibus & constitutionibus inuoluta sunt, ut difficulter prima eorum institutio & simplicitas à fidelibus cerni possit. Qualis autem charitas & pax sit in Romana ecclesia (à qua à centenis aliquot annis grauissima quæq; & maxime sanguinaria bella, excidia hominum & regionum, quibus ingens uiduarum & pupillorum numerus augetur, orta sunt, & adhuc ex Roma oriuntur) omnes, nisi sponte cæci esse uoluerint, plus satis norunt: imò res hæc, utpote misera, potius deploranda, quàm tanquā dubia probanda est: sicut ea quoque quæ ante commemorauimus, plus satis nota sunt uniuerso orbi. Notum etiā est omnibus, qualis sit magna ex parte uita Romanæ curiæ & ecclesiæ, præsertim præcipuorum membrorum & spiritualium personarum, cum tamen Paulus dicat eos qui Christianos sese nominant & tamen absque pœnitentia idolis seruiunt, auaros & prædones, impudicos scortatores, adulteros & qui alia fœda & abominanda perpetrent, qui gulæ & ebrietati dediti sunt, item conuitiatores & inuidos, non adituros esse hæreditatem regni dei, quin & Christianos non debere

1. Cor. 5. 6. Ephes. 4. 5.

debere cum talibus ullam cõmunionem habere. Hæc autem cum ita sint, facile quiuis Christianus hinc concludere potest, quid sibi de Romana ecclesia sentiendũ sit, an se illi obstringere debeat, aut ab ipsa ad Christum & in eius ecclesiam confugere: quemadmodũ etiã dominus suos facere docet in Apocalypsi 17. & 18. cap. Dolendum certe est, quod pijs hominibus subinde molestiæ exhibentur & negotium facessitur propter Romanam ecclesiã, ac subinde de ea tales sermones habentur, quasi adhuc uetus illa Apostolica Romana ecclesia esset: & tamen omnes uident qualisnam sit, quid in ea fiat, et quid ab ipsa sperandum sit. Quare uitanda & deserenda est, & adhærendum Christo domino & Christianæ eius ecclesiæ, quam confitemur sanctam & omnium sanctorum communionem esse.

QVAESTIO VIII.

An dubitet de Romana ecclesia, ut tum ostendat ubinam uera catholica Christi ecclesia hactenus fuerit & adhuc sit: ut locum nominet ubi ecclesia sit & inueniri possit?

RESPONSIO.

DOnatistæ, contra quos D. Augustinus scripsit, arbitrabantur ecclesiam Christi ad certum locum astrictam esse, ut nusquam, nisi in Africa & in Donatistarum angulis reperiri possit: quoniã alibi ubiq; extincta esset. Eodẽ modo isti conantur ecclesiã Christi in Papatũ Romanũ includere, ut nulla sit Christiana ecclesia nisi Romana, ita ut quæ non sit Romana, penitus Christiana nõ sit. Ideoq; Græcas et Orientales ecclesias excõmunicarunt, & in uniuersali Christi ecclesia ingẽti dissidia, offensas & turbas excitarũt. Quæ stioni aũt eorũ sic respondemus: Quandoquidẽ Christi ecclesia est catholica seu uniuersalis, nõ potest certo loco astringi

Ecclesiam Christi catholicã certo loco astringere.

aut concludi. Alioqui non amplius catholica siue uniuersalis nominari posset. Quod si catholica esse perseuerat, sicuti ueritas testatur, tum hactenus fuit & etiam nunc est in illis locis in quibus uera mẽbra Christi sunt: hi nẽpe qui in Christum credunt, ipsum pro unico suo pastore & seruatore inuocant, adorant & colunt, & præcipua illa signa habẽt, de quibus supra dictum est. Atque ita locum nominauimus in quo uera & uniuersalis ecclesia Christi hactenus fuit, et ad huc reperiri potest. Loquimur autem de uniuersali ecclesia quæ in terris est, non de cœlesti. Eius enim ecclesiæ locus fidelibus notus & manifestus est.

Euangeliũ non è Roma exortũ esse.

Verum quid ad id respondebunt isti homines, quod antequam Romæ ulla ecclesia Christi esset, gloriosa & per uniuersum orbem dispersa fuit Christi ecclesia, quæ tamen non Romana, sed Christi ecclesia nominabatur, & in omnibus locis erat ubicunque essent aliqui fideles. Nam ipsi quoque Pontificij confitentur D. Petrum secũdo anno Claudij Imp. hoc est 10. annis post ascensionem domini, Romam uenisse ut Euangelium illic inchoaret & prædicaret. Nanq; Euangelium non est Romæ exortũ, sed ex Hierosolymis Romam & in uniuersum orbem propagatum est. Vnde etiam nonnulli Hierosolymam ecclesiarum matrem nominarunt. Roma uero cito, & quidem nimis cito appetere cœpit imperium aliarum ecclesiarum, atque ideo multa dissidia et discordias excitauit: non minimum malum & uenenum uniuersalis ecclesiæ. Adhæc non tantum in Græcia, uerum etiam ad

Plurimæ regiones Pontificem non agnoscunt.

Austrum, & in Oriente plurimi fideles sunt, qui nõ tantum Iesum Christum agnoscunt, uerum etiã confitentur, adorãt, inuocant, & colunt, atq; haud dubie ad regnum Christi pertinent, etiamsi Turcicæ tyrannidi & aliorum tyrannorum ciuili imperio subiecti sunt. Omnes autẽ isti non curant Romanum pontificem, & ecclesiam Romanam & ritus atque

cerimo-

cerimonias ab ipsa extra dei uerbum inuentas & institutas: non magis, inquam, hæc curant quàm nos hac ætate in nostris regionibus. Num autem ideo non pertinent ad regnum Christi? Quamobrem ecclesia Christi in illis quoque regionibus locum habet. Cum uero olim Romanus Pontifex petijsset à nonullis ex his gentibus, ut se Romanæ ecclesiæ subijcerent, ita illi, ut historiæ testantur, responderunt: Potentiam tuam & fastum non ignoramus: Auaritiam tuam satiare non possumus: Tyrannidem & libidinem ferre nolumus: ideoq; sicuti sumus ita manemus. Neque ideo pij isti uiri detrectarunt obedire Christianæ ecclesiæ, sed tantum pontificiorum sacerdotum libidini obedire renuerunt, nihilominus uero Christum amabant & illi seruiebant, idq; eo plus, quo minus se Romano Pontifici subijciebant.

QVAESTIO IX.

An credant extra illam ecclesiam nec salutem nec remissionem peccatorum esse? An credant etiam omnes eos qui destinata uoluntate sese ab ipsa separant, sint damnandi ut hæretici & schismatici?

RESPONSIO.

Extra Christianam ecclesiam nō esse salutē.

Distinguimus inter has quæstiones: An extra Romanam ecclesiam sit salus & remissio peccatorum? Item, An extra sanctam Christianam ecclesiam sit salus & remissio peccatorum? Ita nanq; sentimus & dicimus, extra sanctam Christianam ecclesiam non magis salutem quærendam esse, quàm in diluuio extra arcā Noe salus speranda fuerit. Nam in communione sanctorum reperitur uerus seruator Christus Iesus, remissio peccatorū, & omnia salutaria dona dei, quæ omnia uerbo Euangelij annuntiantur, & cordibus in-

ſcribuntur & inſpirantur per ſpiritum ſanctum ad uitã æternam. Extra eccleſiã uarij ſunt in mundo errores, Gentiliſmus, Iudaiſmus, Mahumetaniſmus, & aliæ hæreſes, atque Pontificiæ leges & ſuperſtitiones, quæ omnia ignota et contraria ſunt ueræ eccleſiæ Chriſti. Quamobrem bene ſalus et remiſsio peccatorum extra Romanam eccleſiam haberi poteſt. Imò fideles qui Chriſti uerbo credunt, & ſentiunt uirtutem fidei & redemptionis Chriſti, et interea etiam uidẽt quid agatur in Romana eccleſia, in qua cœlum, remiſsio peccatorum & omnia ſancta uenalia ſunt, & precio, imò iniuſtis opib. perinde quaſi oppignorata eſſent, redimi iubẽtur, quemadmodum in impudentiſsima illa indulgentiarum nundinatione apparet: non diu morantur in tali eccleſia, & ſtudent ne harum rerum ullo modo participes fiant, ſed ut tranquillo & fideli corde abſq; pecunia ad gratiam dei confugiant, quoniam Eſaiæ 55. hoc nomine homines à deo uocantur & obiurgantur, quod non ad ipſum ueniant, ſed pecunias ſuas exponant pro illis rebus quæ ipſis nullam ſalutem cõferant. Quæſo legat quiſque diligenter hoc caput 55. huius prophetæ. Quàm autem huiuſmodi nundinatio in eccleſia Chriſto & D. Petro (de quo tantopere, ſed immerito gloriatur Romana eccleſia) diſpliceat, dominus ipſe ſuo exemplo declarauit, eo quod ementes & uendentes bis flagellis è templo eiecit, Ioan. 2. & Matth. 21. cap. In Actis autẽ Apoſtolorum ita ſcribitur: Quum uidiſſet autem Simon magus, quod per impoſitionem manuum Apoſtolorũ daretur ſpiritus ſanctus, obtulit eis pecunias, dicens, Date etiam mihi poteſtatem iſtam, ut cuicunque impoſuero manus, recipiat ſpiritum ſanctum. Petrus autem dixit ad eum, Argẽtum tuum tecum pereat (uel ut alij interpretantur, Pecunia tua tecum ſit in perditionem) qui donum dei exiſtimaris pecunijs acquiri. Non eſt tibi pars neque ſors in ſermone iſto: cor enim tuum

Extra Romanam eccleſiã ſalus eſſe poteſt.

non

non est rectum coram deo, &c. Act. 8. Quoniam uero deus per Petrum execratur eos quod non sint recto corde, et nullam etiam partem neque sortem habeant in ista ratione dei, omnes qui gratiam & dona dei (inter quæ præcipua sunt salus & remissio peccatorum) emunt & uendunt: & Romana ecclesia non potest se huius criminis insontem probare: ideo uere fideles non in ipsa quærunt salutem aut remissionem peccatorum, sed ab ipsa ad Christum dominum confugiunt, & ab ipso uera fide salutem & remissionem peccatorum petunt.

De fide & salute maiorum nostro rum. obiecti.

Verum his omnibus hoc obijciunt Pontificiæ ecclesiæ defensores & concionatores, & nos hac obiectione in summum odium hominum conijcere conantur, et aiunt, Si in sola Romana ecclesia non reperitur salus & remissio peccatorum, tum nulli maiorum nostrorum salui essent, quandoquidem non aliam quam Romanam ecclesiã agnouerunt? Nos uero bene speramus de salute maiorum nostrorum, non quidem propterea quod in Romana ecclesia uixerunt & eius tyrannidem passi sunt: sed ideo quod simpliciter & recte summa dogmata seu capita uniuersalis Christianæ ecclesiæ retinuerunt, duodecim nẽpe articulos Christianæ fidei, præcepta dei, sacram orationem à Christo traditam, quam dominicam nominamus. Quæ dogmata unà cum Baptismo non excogitata & inuenta sunt à Romana ecclesia, sed à sancta Apostolica doctrina & ecclesia hucusque permanserunt, & deus pro sua clementia ita res gubernauit, ut inter tot leges, instituta, & cerimonias Romanæ ecclesiæ hæc capita integra conseruarentur. Quin etiam suam gratiam largitus est pijs hominibus, ut in summa necessitate morte urgente, plerunque omnes superstitiones Pontificias nihili fecerint, & se totos commiserint gratiæ dei & morti Christi, et ad mortem usque perseuerarint in confessione articulorum fidei,

& in precatione orationis dominicæ. Quamuis enim per omnem ætatem erroribus & superstitionibus Pontificijs oppressi fuissent, nihilominus tamen deus suam gratiã in morte misericorditer illis largitus est, sicut Latroni in cruce, neque eos propter infœlicem Papatum abiecit. Præterea uero innumeri pij homines omnibus ætatibus fuerunt, qui Romam, Pontificẽ, eius sacerdotes & eorum uitam nunquam probarunt: imò multipliciter omnibus seculis de uarijs oneribus conquæsti sunt. Præterea uero deus omni ætate, præsertim uero in summa tyrannide & fastu Romanæ ecclesiæ uiros doctos misit, qui pios homines instituerunt, & eorum hypocrisim, qui spirituales nominantur, patefecerunt, ac salutem ueram in Christo ex uerbo dei prædicarunt. Quamuis autem plerique horum occisi sint, quemadmodum Christus, Prophetæ, & Apostoli prædixerunt, nihilominus tamen doctrina eorum inter homines permansit ad consolationem electorum: ita ut deus omnibus temporibus electos suos habuerit, etiam in medio Papatu. Ac plane tum idem contigit & adhuc hodie fit, quod Heliæ temporibus factum est.

3. Reg. 19. Cum enim is arbitraretur se unum ac solum ex uere fidelibus superesse, & ecclesiam funditus esse euersam, respondit illi deus, Adhuc 7000. uirorum habeo, quorum nullus genua flexit Baali. Haud dubie ergo Christus omnibus seculis suos habet, qui genua sua Papatui non flexerunt, neque in posterum flectent. Præsertim cum etiam in Reuelatione Iesu Christi Ioanni facta, post multa pericula indicata quæ euentura sint ecclesiæ, signentur multa millia, imò infinitus numerus eorum, quibus ista pericula nihil nocitura sint. Etiamsi uero plu[illegible] è maioribus nostris uehementius Papatui adhæsissent quam eorum saluti conduceret, quemadmodum etiam prædictum est, magnam fore seductionem & calamitatem: non tamen hinc sequeretur Romanam ecclesiam uni

cam

eam & catholicam ecclesiam esse : non magis quàm sequatur Ieroboamicam ecclesiam ueram dei ecclesiam fuisse, propterea quod magnus Israelitarum numerus longo tempore illi adhæsit. Imò eodem tempore multi in Israele erant, qui non propterea damnati fuerunt quod regnum à Ieroboamo seductum fuerat. Deus enim omnibus seculis suos electos habet, quorum potißimum gratia prophetas suos mittit, ut errores indicent, & ueritatem doceant.

Præterea arbitramur hos iure pro schismaticis & hæreticis habendos esse, qui destinato consilio, ex libidine animi, maligne & pertinaciter seipsos à sancta & catholica Christi ecclesia separant. Separare autē uel schisma & hæresim instituere hic pro eodem accipimus. Germanicū enim nomē hæretici kätzer, ab Hebræo Kazar deriuatū est, quod abscindere & separare significat. Vnde nos in Germanica lingua pannum lacerum aut carnes frustulatim dissectas dicimus esse zerkätzeret, separatas, sectas & laceras. Quamobrem nomen hæretici kätzer, significat factionum & dißidiorum authorem aut defectorem schismaticum, nō eum qui nefanda libidine contra naturam se polluit, & igne puniendus est. Etsi talis quoque iure kätzer à Germanis nominetur, propterea quod uiolarit & ruperit fœdus & ordinem à deo institutum, de quo scribitur in sacris literis, quod omnibus animantibus ad Adamum adductis, non inuentum esset ei simile quod ipsi conueniret, & illi cōiungi posset, & propterea deum ex latere uiri mulierem formasse, ac instituisse ut mas & fœmina matrimonio coniungantur, & sint caro una. Latini hæresim et hæreticos ab electione nominant. Deus nanq; in suo uerbo per Prophetas et Apostolos diligenter & plene præscripsit quid nobis faciendum & credendum sit, & addit, Ea quæ præcipio tibi, facies, nō addes quic quā, neq; auferes. Neq; enim facietis quisq; quod sibi bonum Deut 4. 12.

Quid sit schisma aut hæresim facere.

uiſum fuerit, ſed ea quæ ego præcipio uobis. Quicunq; igitur inobediens eſt, & alia quæ deus uerbo ſuo non præcepit, excogitat & eligit, atq; ea in re ſeipſum à uerbo dei & his qui illud ſequuntur ſeparat, ac peculiarem uiã & rationẽ inſtituit & in eam alios quoq; pellicit, & arrogans, pertinax, contentioſus & contumax eſt, & in his poſt multiplicem inſtitutionem perſeuerat, hunc ueteres hæreticũ nominarunt. Latini enim hæreſim ſectæ nomine interpretati ſunt, ſectæ quoq; & ſectarij nomen etiam à Germanis receptum eſt: uerum quia hæ uoces à Latinis deſumptæ ſunt, non ab omnibus uulgo recte intelliguntur. A ſecando enim ſecta & ſectio dicitur, ueluti cum lignum integrum in multas partes ſecatur: aut hi qui prius in eadem ſententia & opinione erant, diſſident & in uarias ſententias diuiduntur, ut ſinguli ferè aliquid peculiare habeant: huiuſmodi autem partes ab alijs ſeiunctæ, ſectæ appellãtur: ueluti inter philoſophos Gentium uariæ ſectæ fuerunt, Epicureorum, Stoicorum, Peripateticorum, in quibus ſingulæ ſectæ peculiares opiniones habebant. Veteres tamen inter hæreſim & ſchiſma diſtinxerunt: de qua diſtinctione non opus eſt ut hoc loco dicamus, niſi illud tantum, non quamuis diſſenſionem hæreſim eſſe. Etenim cum primum Apoſtoli prædicare inciperent, & eccleſiam ædificare, hoc eſt, Chriſto populum ex Iudæis & Gentibus adducere, ut omnes in Chriſto cuncta quærerent, doctrina eorũ hæreſis nominata eſt: ſicuti aperte ex 24. ca. Act. cognoſci poteſt. Ideo autem Iudæi Apoſtolorum doctrinam hæreſim nominarunt, quod longe alia & diuerſa huius doctrinæ ratio eſſet, quàm illius quæ hactenus in Iudaiſmo recepta fuerat, ideoq; ſectam & defectionem arbitrabantur ab ea fide quam ipſi ueram iudicabant, ſicuti contra Chriſtianorum falſam eſſe iudicabant.

Quam-

Quamobrem ubicunque diſsidium, ſchiſma aut hæreſis inſtituitur, ibi neceſſe eſt prius unitatem fuiſſe quæ ab hæreticis dirimatur. Quamobrem tenendum eſt, quæ unitas, aut quodnam totum illud ſit quod hæretici diuidunt, & inde etiam nomen ſuum habent. Non enim omnis unitas bona eſt, & utile eſt tales diſsipari: ueluti malorum hominum concordia & unitas, per quam & ipſi pereunt & ſecum alios quoque perdunt. Vnde dominus in Euangelio dixit, Ne exiſtimetis quod uenerim ut mittam pacem in terram: non ueni ut mitterem pacem, ſed gladium. Nam ueni ut diſsidere faciam hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, &c. Matthæi decimo capite. Neque tamẽ dominus, qui hæc dixit, ideo hæreticus fuit: quemadmodũ Apoſtoli quoq; non poſſunt hæretici & ſchiſmatici nominari, propterea quod diſsidium aut ſchiſma in Iudaiſmo & Gentiliſmo excitarunt, atque homines à Iudaiſmo & Gentiliſmo in unitatem eccleſiæ Chriſti introduxerunt. Itaque quærendum à nobis eſt, quæ nam ſit uera unitas & concordia quæ non ſit diuidenda. Sicuti igitur unus deus, unus mundus, & Sol unicus: ita etiam unica tantum diuina ueritas eſt, unica uera Chriſtiana fides, in qua omnes fideles unanimes audiunt & ſequuntur diuinam ueritatem, & unicum uerúmque deum, toto corde, totáque anima, & omnibus uiribus amant, adorant, inuocant, & colunt. Quoniam uero deus unicũ ſuum filiũ dominũ noſtrum Ieſum Chriſtũ, dedit ſeruatorẽ totius mũdi, in quo uno omnis ſalus & plenitudo poſita eſt, ideo fideles in eccleſia omnẽ ſalutem in ſolo Chriſto mediatore quærunt. Hunc fideles ꝓ unico ſuo capite agnoſcũt: ꝓ unico paſtore, põtifice & aduocato corã deo patre: ꝓ unico et æterno ſacrificio, quod ſemel in cruce oblatũ eſt ad plenam remiſsionem omniũ peccatorum: pro iuſtitia ſua, & in ſumma, Chriſtum cum agnoſcunt, in quo omnia ha

Qua nã in re poſita ſit unitas Chriſtianę eccleſiæ.

beant quæ et ad æternam uitam, & nunc quoque ad præsentem uitam pie & innocenter agendam, ipsis utilia & necessaria sunt. Neque alijs mediis aut auxilijs opus habent, quoniam in solo Christo omnia habent, neque ulla re præterea indigent, imò nullam optant. Et in hac re omnes simul firmiter seruant ueram unitatem sanctæ Christianæ fidei, quæ uni duntaxat deo Patri confidit, per dominum nostrum Iesum Christum filium dei, in uirtute Spiritus sancti. Sacramenta quoque Christi, Baptismus & Cœna domini, in hunc finem spectant, quibus pij sese deo & hominibus obstringunt, ac sibi inuicem in mutua charitate seruiunt. Hoc igitur est totum illud seu unitas, quæ diuisa facit hæreticos.

Exempla ruptæ unitatis in ecclesia & fidei.

Exempla autem huius rei habemus in ueteri populo dei, cui deus præcepit, ut ipsum amarent toto corde, tota anima, & omnibus uiribus, ideóque omnes in unam ecclesiam concluſit, unam legem omnibus dedit, & unicum duntaxat fœdus cum illis pepigit, unicum præterea tabernaculum seu templum, unam arcam fœderis, unum altare, sacrificium, & sacerdotium inter illos instituit. Sacramenta quoque ueterum Circunciſio & Paſcha huic unitati deseruiebant, ut scilicet omnes unus populus essent sub uno deo & in una fide. Ideóque illis interdixit, ne alienos deos, hoc est, omne id quod extra ipsum unicum uerúmque deum, loco dei & liberatoris haberi posset, colant: interdixit etiam illis ne alienas religiones amplectantur, neque usquam alibi, nisi uno in loco, aut alia ratione quàm à se constituta sacrificent. Contra hæc instituta dei aperte egit primus Israelitarum rex Ieroboamus: nam primum unicam ecclesiam in partes discidit, & decem tribus ab unico templo, ara, sacerdotio & sacrificio & à constituto atque descripto dei cul-

tu

tu abstraxit, ac pro suo arbitrio duo templa ædificauit, in quibus idola constituit, aras erexit, sacerdotes pro sua uoluntate elegit: qua de re legatur liber primus Regum, duo decimo & decimotertio capite. Hic summus fuit hæreticus seu dissector ecclesiæ dei, ideo sæpius & grauiter in uerbo dei reprehenditur. Secutus hunc est Achabus rex, qui præterea impurum Baalis cultum addidit, & populum longius à uera uia et unitate abduxit. Quare uterq; à deo cum omni familia eradicatus est.

Primi hæretici & schismatici in Apostolica ecclesia.

Postquam uero beati Apostoli Christum, & in ipso duntaxat omnem salutem hominibus prædicarunt, & super hanc petram sanctam ecclesiam in hoc mundo ædificarunt, & ecclesiæ scripta sua unà cum Propheticis libris, in quibus omnis doctrina plene continetur, reliquerunt: in scriptis suis prædixerunt uenturos qui doctrinam, fidem, & ecclesiam diuidant: breui igitur tales in ecclesiam inuaserunt, & quotidie creuerunt. Horum alij negarunt sanctam trinitatem: alij diuinam, quidam uero humanam Christi naturam: aliqui corruptionem humani generis, Originale ut uocant peccatum, extenuarunt: atque humanis uiribus & libero arbitrio, item operibus legis & meritis humanis, contra gratiam dei, iustitiam & salutem tribuerunt. Omnes isti diuinam scripturam & ecclesiam lacerarunt, eo quod sibijpsis factiones instituerunt, ac stultos homines per sua diuerticula ab unica uia & Apostolica ecclesia ad interitum abduxerunt: adhæc omnia ex seipsis confinxerunt, aut ab alijs absque scripturarum firmis testimonijs tradita, amplexi sunt, & pertinaciter defenderunt ac propagarunt. Quare merito ueteres eos pro schismaticis & hæreticis habuerunt.

An hæretici sint hi qui nostra ætate Euangelium prædicant.

Quamobrem si qui nostris temporibus nominatos er-

rores & factiones renouant, aut aliquid ex ſeipſis & contra ſcripturas confingunt, uel ſcripturam & unicam Chriſtianam eccleſiam lacerant, & partes has Chriſto ablatas ſibi uendicant: & inſuper meliora ex ſcripturis edocti, conceptum errorem deponere nolunt: item ſi alium deum, aliud Euangelium, alium Chriſtum prædicant, & corda fidelium diuidunt, ut non unum tantum deum toto corde, ſed alios quoque deos ament, & ut deum non ſolum, ſed præterea creaturas quoque inuocent, adorent, & colant: ſi item ſalutem & omnem plenitudinem non in Chriſto ſolo, ſed multis alijs in rebus poſitam eſſe docent, ac Chriſtum dicunt nominari quidem in ſcripturis paſtorem, caput, ſummum Pontificem, aduocatum & interceſſorem, ſacrificium pro peccatis, iuſtitiam & redemptionem fidelium, uerum ipſum non ita unum ac ſolum hæc omnia eſſe ut non etiam aliæ res illi coniungi poſſint: præterea ſi qui ſacramentis Chriſti aliter utuntur quàm ad inſeparabilem unitatem eccleſiæ promouendam. Si, inquam, uel alij, uel noſipſi hæc faceremus quæ commemorauí, merito tales de hæreſi ſuſpecti eſſent, quod ſcilicet ſectarum & diſſidij authores eſſent in fide & unica Chriſti eccleſia. Quoniam uero nos omne ſtudium & diligentiam adhibemus, ut uetus & prima ſimplicitas atque unitas ueræ fidei & Chriſtianæ Apoſtolicæ eccleſiæ reſtituatur, & Chriſtus ſolus in cordibus fidelium, eam quam decet dignitatem obtineat, ac ut nos in ipſo pie in hac uita, & poſthanc uitam in æternum uiuamus, ſpero nullos pios & honeſtos homines nos pro hæreticis ideo damnare & infamare poſſe, quod Romanam eccleſiam deſeruimus, non quidem ueterem in illis rebus, quas cum uniuerſali Apoſtolica eccleſia communes habet, ſed tantum

tum nouam, idq; in his duntaxat rebus quas ex se ipsa alienas à uerbo dei instituit, & multorum abusuum & scandalorum causa fuit. Cum etiã insuper plena sit peccatis & flagitijs, &c. & dominus ex ea nos exire iubeat, Rom. 16. 2. Corinth. 6. Apoc. 18. *&c.*

DE CONSTITVTIONIBVS Eccleſiæ & Concilijs. III.

QVAESTIO X.

An firmiter & ſine dubitatione credant & doceant, quod ſancta Romana *& catholica eccleſia mandat credi et præcipit?*

RESPONSIO.

Quatenus eccleſiæ cõſtitutionibus credendum ſit.

De ſancta catholica eccleſia ſupra ex Euangelio *ſcripſimus, ipſam unici paſtoris uocem audire, alienorum autem uocem non audire. Quare facile hinc colligi poteſt, nihil ipſam credendum præcipere, quod non ex ore domini acceperit: præſertim cum* Paulus *dicat, fidẽ ex auditu eſſe, auditum autem per uerbum dei, ſiue Chriſti. Quamobrem cum fideles firmiter credant uerbo dei, illa etiam credunt quæ ſancta eccleſia mandat credi & præcipit. Nihil enim credi mandat niſi quod uerbo dei continetur. Quæcunq; uero contraria ſunt uerbo dei, non ſunt credenda, etiamſi eccleſiæ aut quocunq; alio nomine & titulo ornentur.*

De Romana *eccleſia manifeſtum eſt, multa eius nomine credenda & ſeruanda præcipi, quæ ueteri eccleſiæ omnino incognita fuerunt, neq; uerbo dei nituntur. Quæ autem huiuſmodi ſunt, deus prohibet credere aut recipere. Nam per* Ieremiam *prophetam inquit, Nolite audire uerba prophe-* Ierem. 23.

tarum, qui uisionem cordis sui loquuntur, nõ de ore domini.

Esa. 29. Matth. 15. Et dominus in Euangelio ex Esaia propheta inquit, Fruſtra me colunt, docentes doctrinas mandata hominũ. Paulus uero negat ueritatem ineſſe hominum conſtitutionibus: & execratur omnem doctrinam ab Euangelio diuerſam.

Tit. 1. Galat. 1.

Finis huius Quæſtionis.

Ex hac autem quæſtione facile apparet, iſtos homines nihil aliud deſiderare & quærere his quæſtionibus, quàm ut Romana eccleſia, hoc eſt ipſimet, habeantur pro unica uera eccleſia, & ut omnia quæ ſeruanda & credenda præcipiunt, abſq; ulteriori inquiſitione recipiantur. Cur nõ urgent, ut ſacræ ſcripturæ, ſiue uerbo dei, abſq; ulla dubitatione & firmiter homines credant, & agnoſcant omnia in ſacris literis plenè contineri & tradita atq; deſcripta eſſe quæ ad ueram ſalutem faciunt, ſicuti Paulus confitetur 2. Timoth. 3? Verum non dei honorem & progreſſum uerbi eius quærunt, ſed propriũ honorem & ſuarum legum atq; conſuetudinum authoritatem & firmitatem.

QVAESTIO XI.

An credant Chriſtianæ Eccleſiæ conſtitutiones ſiue mandata: item Patrum Canones & Decreta eſſe ex ſpiritu ſancto, neq; Chriſto & ſcripturis aduerſari?

RESPONSIO.

Quatenus Patribus credendum ſit.

DE conſtitutionibus eccleſiæ proxima Quæſtione reſpondimus. Canonum autem & Decretorum, quæ Patres ſanciuerunt, hæc ratio eſt. Deus fidelis noſter parens, eccleſiæ ſuæ indicem ſeu Lydium lapidẽ quàm exactiſſimum dedit (uerbum ſuum utroq; Teſtamento comprehenſum) ad quem omnia quæ auri loco, hoc eſt, pro diuina & certa ueritate nobis offeruntur, examinemus & probemus an purũ aurũ ſint, an mixtũ et adulterinũ. Canones & Decreta Patrum

trum auri loco nobis offerũtur quod sint diuina ueritas. Verum cũ Patres homines fuerint qui errare possunt, & ipsi dixerint doctrinæ institutis & decretis suis nõ esse credendum, nisi ad Lydium lapidem sacrarum literarũ examinata & probata fuerint: certe ea ad normam scripturarum examinari & probari debent, quemadmodum Paulus docet 1. Thess. 5. & Ioannes 1 Epist. 4. cap. Si igitur sacris literis congruunt, ex spiritu sancto sunt, neq; Christo & scripturis aduersantur: sin minus, tum non sunt ex spiritu sancto, & Christo atq; scripturis aduersantur, ideoq; non sunt credenda & seruanda. Multos uero canones & decreta Patrũ aperte repugnare sacris scripturis longum esset commemoratu: ueruntamen quantum cognitu necessarium est, facile ex his quæstionibus percipi poterit. Nam fermè omnia de quibus isti homines contendunt, hominum decreta sunt, seu Patrum constitutiones. Non autem inter se similes sunt Patrum constitutiones, sed sæpe sibi mutuo repugnant. Nam quædam Patrum constitutiones coniugia spiritualium, ut uocant, hoc est, ministrorum ecclesiæ, oppugnant: sed contra notũ est quid de illis docuerit Gangrensis Synodus, quæ omnes eos excõmunicat, qui presbyteros propter coniugia discernunt, & minoris æstimant. Plura præterea huius generis in ipsis Pontificum decretis reperiuntur. Quare autem quæso isti homines non ita pugnant propter leges & decreta dei, quo illa mundo cõmendent tanquam salutaria? Nusquam horum uel uerbo mentionem faciunt in omnibus quæstionibus. An nõ igitur Pharisæos & Scribas referunt, qui potissimum propter Patrum constitutiones Christo & discipulis eius repugnarunt, legem aũt dei (quod dominus illis obijcit) non curabant, imò Patrum constitutionibus legi derogabant, Matth. 15. Marc. 7.

QVAESTIO XII.

An uniuersalibus Cõcilijs, quæ legitime celebrata sunt, credere & obedire oporteat? & an ea, quasi non errarint, in dubium reuocare, & de illis disputare non liceat?

RESPONSIO.

Quatenus Concilijs credendum sit.

QVæstio hæc tres quæstiones cõplectitur. Primam, *An uniuersalibus Concilijs, quæ legitime celebrata sunt, credendũ et obtemperandum sit?* Ad hanc quæstionem respondemus, omnia Concilia tam uniuersalia quàm prouincialia, ut uocant, omnem suam authoritatem & fidem habere duntaxat ex uerbo dei. Quare si leges & decreta Conciliorum ex uerbo dei desumpta, & per illud confirmata sunt, merito illis tanquam uerbo dei credendum & obtemperandum est. Sin minus, nulla est authoritas ullius Concilij contra ueritatem sacrarum literarum. Constantinus Cæsar Patribus in primo uniuersali Concilio Niceæ legitime congregatis obtulit scripturas Veteris & Noui Testamenti, & ex illis omnes controuersias dijudicare iussit.

An Concilia errarint.

Secunda quæstio est, *An Cõcilia unquã errauerint?* Imò ita querunt quasi nunquam errauerint. Quoniam uero omnia Concilia ex hominibus olim congregata fuerũt, & nunc quoq; congregantur: homines uero errant, & errare possunt, & sæpenumero etiam errarunt: nam Dauid inquit, Deum ueracem, omnem autem hominem mendacem esse: & D. Iacobus, In multis, inquit, labimur omnes: sequitur Concilia quoq; errare posse. Tum autem cum deum uerbumq; eius sequuntur non errant, ut supra abunde ostendimus. Concilia autem errasse, & ideo sæpe sibi repugnasse, ac unum ab altero damnatum fuisse, ex historijs cognosci potest. Neq; enim hoc loco necesse est omnia prolixe com-

Psal. 15. Rom. 3. Iacob. 3.

memo-

memorare, quandoquidem tantum breuiter ad cõmemoratas quæstiones respondere statui.

Tertia quæstio est, An ea quæ semel in Concilijs bene et recte decreta sunt, rursus in dubium reuocare, & contra ea de nouo disputare liceat? Ad hanc quæstionem sic respondeo: In illis quæ Concilia ex uerbo dei bene & recte decreuerunt, eorum cognitioni & decreto merito acquiescendũ est, neq; hæc in dubium reuocanda sunt. Veluti prima Oecumenica Concilia, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, bene & recte ex uerbo dei decreta fecerunt, De sancta Trinitate, De Diuina et humana Christi natura, De Spiritu sancto, & similibus rebus quæ ad has pertinent. Interim tamen nullo modo in deum peccant, quicunque sese illis opponunt à quibus hæc rursus in quæstionem uocantur, & ad asserendam ueritatem contra eos disputant. Isti uero qui huiusmodi disputationum authores sunt, peccant, ut nostra ætate Seruetus Hispanus & alij nonnulli in apertis dogmatibus fecerunt. Consitemur etiam utiles & necessarias olim fuisse & nunc quoq; esse leges piorum Imperatorũ & regum, quibus cauetur ne blasphemæ & impiæ disputationes habeantur.

An de articulis decisis & confirmatis disputandum sit.

Veruntamen Pontificij sese hoc nomine tueri non possunt, quod hac ratione nihil scribendum aut disputandum sit (hoc enim admodum desiderant, quippe qui norunt se esse possessores malæ fidei) contra noua ipsorum intra aliquot centenos annos celebrata Concilia. Etenim nimium apertũ est, & negari non potest, ipsos multa in suis Concilijs instituisse & sanxisse contra consuetudinem primæ ecclesiæ & aperta testimonia sacrarum literarum, quæ saluo honore non possumus intacta relinquere. Præterea ab aliquot sæculis plures sancti, docti, fideles, fortes & synceri dei ministri uociferati sunt, Romanam ecclesiam plenã esse abusi-

An contra Pontificia dogmata disputare liceat.

bus, erroribus, peccatis, flagitijs, & scandalis, ideo graui et seria reformatione opus habere. Sed isti hæc omnia contegere & oblinere uolunt, dicentes, non licere rursus loqui aut disputare contra ea quæ semel in Concilijs constituta et decreta sunt. An uero hoc coram deo & hominibus iustum sit, prudentes facile animaduertunt.

Augustini sententia de Concilijs & Patribus.

D. Augustinus quid in hac re sentiendum sit, optime docet: iubet enim tantum Biblicis scripturis absque omni contradictione credere, scriptis autem Patrum hactenus credendum esse, quatenus scripta sua testimonijs sacrarum literarum confirmant & probant, Epist. 19. iii. 48. Contra Cresconium lib. 2. cap. 32. De peccatorum meritis & remiss. cont. Pelag. lib. 3. cap. 7. De uera relig. cap. 10. & Contra epist. Pelag. ad Bonifac. lib. 4. cap. 8. Contra Maximinum lib. 3. sic ait, Sed nunc nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminense tanquam præiudicaturus proferre Concilium: sed scripturarum authoritatibus disputemus. Libro autem 2. contra Donatistas cap. 3. Concilia scripturæ subijcit, & sæpe priora à posterioribus emendari posse dicit. Item De unitate ecclesiæ, cap. 16 scripturam inquit fundamentum & firmamentum esse ecclesiæ & omnium rerum in ecclesia.

QVAESTIO XIII.

An Paulus, Petrus, Iacobus, & reliqui Apostoli, in primo Hierosol. Cõcilio, hæreticos (qui conabantur circumcisionem & legem Mosis fidelibus imponere) aut ex ea secta Laicos homines, in Concilium admiserint?

RESPONSIO.

Accusatores & iudices esse uolunt.

SCopus & finis huius Quæstionis est, quod cupiunt si forte liberam Collationem & disputationem in Concilio aut

lio aut alioqui recusare non possint, & si cogantur ut in legitimo colloquio rationem fidei & religionis suæ reddant, ut tum saltem aliquam prærogatiuam habeant quo minus aliquid contra ipsos statui possit, ac ipsi ab erroribus, abusibus & peccatis ad piam & deo acceptam uitam reuocari possint. Huc enim omnia tendunt, ut ipsi soli in Concilio locum habeant, neq; quenq; Laicum, aut qui non eiusdem farinæ sit, ferre cogantur, sed ut soli habeant omnem potestatem, accusandi, dicendi testimonij, & statuendi ac iudicandi, ut hac ratione uniuersa pro suo arbitrio administrare possint. Atq; ita aliquot iam sæculis maiores ipsorum Concilia celebrarunt, qua ratione sibi utile fore iudicabant. An uero hoc deo probetur, æquum sit, & aliquem bonum fructum ecclesiæ afferat, tempus ipsum, oppressio ueritatis, interitus piorum hominum, & misera gubernatio ecclesiæ satis declararunt: & facile etiam omnes fideles & prudentes iudicare possunt.

An Apostoli hæreticos in Concilio admiserint.

Duæ autem sunt partes huius quæstionis. Prima, An Apostoli in primo Concilio Hierosolymitano hæreticos, qui pijs circumcisionem & legem Mosis obtrudere conabantur, in Concilium admiserint? Arbitrantur autem hoc à nobis negandum esse, quo statim deinde cõcludere possint, nos quoq; quod hæretici simus non audiendos, neq; in Concilium admittendos esse. Veruntamen etiamsi hæreticis non datus fuisset locus & facultas sententiã suam proponendi in Hierosolymitano Concilio, non tamen hinc sequeretur nobis audientiam denegandam esse, neq; permittendum ut in legitimum Concilium (nam alioqui iniqua & quæ ipsorum factionis sunt non multum curamus) admittamur. Etenim non sumus hæretici, sicuti illi qui Paulum oppugnabant.

Imò quod plus est dicimus, Apostolicam doctrinam, quam Paulus in Concilio proposuit, pure à nobis seruari & doce-

ri: uos autem doctrinam aduersariorum Pauli defendere & obtrudere hominibus, imò ui & armis inculcare. Nam hæc summa fuit doctrinæ Pauli, Peccatores apud deum per fidem in Christum iustificari, non per Circumcisionem aut opera legis. Huic doctrinæ opposuerunt se aduersarij Pauli, qui & ipsi fideles erant, & fidem in Christum prædicabãt, non tamen pure, & addebant oportere circumcidi, seruare legem, & per opera saluari. Hanc autẽ fuisse utriusq; partis sententiam atq; doctrinam docet 15. caput Actorum, & epistola D. Pauli ad Galatas. Cum igitur uos doceatis merita operum, & dicere audeatis, iustificationem nõ esse ascribendam solæ fidei in Christum, sed etiam bonis operibus, considerate nósne an uos uestra doctrina propius accedatis ad aduersariorum Pauli sententiam. Quamuis aũt illi tales fuerint, nihilominus tamen sententiã suam in Concilio Hierosolymitano proposuerunt & auditi sunt: nam in Act. 15. cap. scribitur, magnam disceptationem fuisse inter ipsos & Paulum ac Barnabam. Ita etiamsi hæretici essemus, qui tamen non sumus, æquè in Concilio ac illi audiendi essemus. Quare cum Apostolorũ exemplum, quo uos usi estis, ostendat Apostolos damnasse illos qui contraria Paulo docebant: & nos antea docuerimus uos quoq; eadem docere: sequitur uos etiam in illis damnatos esse. Si autem iuxta uestrã sententiam aduersarij Pauli non habuerunt locum aliquem in Concilio, uos quoq; qui illis similes estis, nullum locum in legitimo Concilio uestro ipsorum iudicio habebitis. Si uero hi Concilio interfuerunt qui Pauli doctrinæ assentiebantur, et contra eos qui Paulo aduersabantur sententiã protulerunt, merito nos quoq; in Concilio sedebimus, et contra uos pronunciabimus. Eadem nanq; cum Paulo de Christo, de fide in Christum, & de iustificatione docemus, nempe nos per fidem in Christũ, non per opera iustificari. Itaq; hac ratione apparet

Summa doctrinæ Pauli & aduersariorum eius.

An hæretici in Concilium admittendi sint.

apparet quæstionem hanc contra uos ipsos facere.

An Aſi laicos hæreticos in Concilium admiserint.

Secunda pars huius quæstionis est, An Apostoli in Concilium admiserint laicos siue idiotas qui cõmemoratam hæresim sequebantur? Verum ipsi hoc loco id potius quærunt, An laici qui hæreses sequuntur, in Concilia admittendi sint? Hic primum diligenter considerandum est, quinam hæreses sequantur, & tum uidendum est quonam hæc quæstio spectet, & quosnam excludere conentur. Secundo respondemus, pios principes & magistratus, ac honestos laicos, qui Euangelio, quod nos prædicamus, fidem habent, non sequi hæreses, ideoq; iure posse Christianis Cõcilijs & colloquijs interesse. Non ignoramus uestram consuetudinem & tyrannicam maiestatem, qua laicos aliquandiu in Cõcilium admittitis consilij & discendi causa, ut dicitis, uerum quando res serio agitur & concludendum est, tum excluditis eos, & hi tantum in Concilio sedent, qui decisiuas sententias ferre possunt, nempe soli episcopi. Verum in Actis Apostolorum hoc ipso loco quem pro uobis adducitis, sic scribitur, Tunc placuit Apostolis & Senioribus, cum tota ecclesia, &c. quo loco haud dubie idiotæ seu laici in tota ecclesia numerantur, eò quod & ipsi gratiã et spiritum Christi habeant. Quamobrem non possunt nec debent excludi à colloquijs quæ de religione instituuntur. Neq; ferendũ est principibus & magistratibus, ut hi qui se spirituales nominant, sibi soli omnẽ potestatem in his rebus uendicent.

QVAESTIO XIIII.

Quare Paulus & Barnabas non Antiochiæ cum hac secta transegerint, sed Hierosolymam ad Petrum ascẽderint, & ipsum rogarint ut de hac hæresi pronunciaret quid sentiendum sit?

RESPONSIO.

Apostolis non licebat transigere & pacisci cum aduersarijs.

APostoli non potuissent cum aduersarijs transigere, nisi et ipsi aliquid de sua doctrina remittere uoluissent, & propius ad aduersariorū doctrinā accedere: et idem etiā aduersarij fecissent. Verum inter duas has propositiones, Fides in Christū homines iustificat absque operibus legis: itē, Lex siue opera iustificāt hominē corā deo, nō fides in Christum: nulla intermedia constitui potuit. Neq; etiam licebat Apostolis à doctrina sua recedere, & aduersarijs aliquid condonare. Etenim de his D. Paulus inquit: *Quibus ne ad momentum quidem cessimus per subiectionem: ut ueritas Euangelij permaneret apud uos. Scientes non iustificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi. Quod si dum quærimus iustificari per Christū, reperimur & ipsi peccatores: num Christus peccati minister est? Absit. Nam si quæ destruxi, ea rursum ædifico, transgressorem meipsum constituo. Quare Apostoli non potuerunt cum aduersarijs suis neq; Antiochiæ neq; Hierosolymis transigere atq; decidere, neq; etiam transegerunt. Quin Hierosolymas non ideo ascenderunt ut cum illis transigerent & pacisceren-tur, multo minus uero Petrum rogarunt ut rem inter ipsos componeret & transigeret. Sed ascensus eorum hæc fuit præcipua causa. Hæretici iactabant inter fideles, ab Apostolis Hierosolymis sese missos esse, & eadem cum Apostolis docere: aliter enim Apostolos, aliter Paulum & Barnabam Euangelium prædicare. Itaq; ut omnibus manifeste appareret hanc hæreticorum iactationem falsam esse, Hierosolymas ascenderunt: ideoq; deinde Apostoli & Hierosolymitana ecclesia scripserunt ecclesijs Gentium, in quibus Hæretici falsò hæc contra Paulum sparserant, & inter alia his uerbis utuntur, Quoniam audiuimus quod quidam è nobis egressi turbauerunt uos uerbis, quibus hoc non imperauerramus, &c.* Lege Act. 15. & ad Galat. 2. cap.

Galat. 2.

Quare Paulus Hierosolymam ascenderit.

QVAE-

QVAESTIO XV.

An non Paulus primo loco sententiã dixerit in isto Concilio? item, an spiritus sanctus huic Concilio interfuerit? Quod si hæc uera sint, quare ipsi cum suis sectatoribus ecclesiam D. Petri suo honore spolient, & ea quæ spiritus sanctus inspirat, in dubium uocare audeant?

RESPONSIO.

APparet ex hac quæstione in quem finem etiam priores ab earum authoribus conscriptæ sint, nempe ut omnes in dirimendis controuersijs de religione Romanam sedem accedant, & omnem interpretationẽ à Pontifice accipiant. Verum si Romana ecclesia syncera adhuc esset, quemadmodum Hierosolymitana eo tempore fuit quo Paulus & Barnabas illuc ascenderunt, non pigeret nos ab ipsa responsa petere & accipere. Quia uero doctrina & eccle sia quam Petrus in Iudæa plantauit, non Romæ modo, sed ne Hierosolymis quidem est nostra ætate, & Romæ illi potius reperiuntur de quibus toto cap. 2. posterioris epist. D. Petrus uaticinatus est, merito ab ea abhorremus. Interim tamẽ ueterẽ doctrinã et ecclesiã D. Petri non spoliamus suo honore: uerã enim ueteremq; doctrinã & ecclesiam Petri sequimur, & omnes controuersias religionis dijudicari putamus ex D. Petri & aliorũ Apostolorum doctrina. Quare Romani illi Curtisani suã potius manticã inspiciant, & diligenter considerent, quàm amplos honores D. Petro & eius sedi atq; ecclesiæ tribuant, quam in forũ nundinatorium & omnium scelerũ sentinam cõmutarunt, sicut toti orbi manifestum est, & omnes pij merito conqueruntur.

Non spoliamus ecclesiam D. Petri suo honore.

Paulus primum locũ in Concilio habuit.

Paulus quidem primo loco sententiam dixit in Hierosolymitano Concilio, sed quid inde efficere uultis? An ignora-

tis eum accusatorem fuisse suorũ aduersariorũ, quare oportuit ipsum sermonem & totam actionem inchoare. Miror tamen uos non tribuere D. Petro primum locum in Concilio. Etenim tantum de primo loco & de maiore gloria & honore cõtenditis. Penitus enim isti homines ablutioni commendarunt Christi doctrinam, qui adeò grauiter & serio docuit, debere hunc qui maior esse uoluerit, postremum & omnium seruum esse, siquidem in regnum cœlorum ingredi uelit. Quare non immerito Pharisæos mihi referre uidentur, de quibus dominus in Euangelio scribit, amare ipsos primos consessus, & ut magnificis titulis ab hominibus saluentur. Attamen ut isti uideant nos nihil quod æquum est ipsis denegare, studeant primum ut Paulo & Petro similes sint, tum libenter primum locum illis concedemus. Sin autem tales non sunt, non est quod sancto nomine & titulo nobis se uenditent. Etenim ipsos, ut putrem arborem ex fructibus suis, optime nouimus.

Spiritus sanctus in Concilio.

Adfuit præterea spiritus sanctus in Cõcilio Hierosolymitano. id enim Act. 15. scribitur. Quid autem hoc ad uos? uel quid uos iuuat? Nõ enim hinc sequitur omnibus uestris Concilijs interesse spiritum sanctum: sicut etiam supra ostendimus. Deinde non in dubium reuocamus ea quæ à spiritu sancto inspirata & tradita sunt, sed illa tantũ quæ uos una cũ maioribus uestris confinxistis ex uobis ipsis præter & contra uerbum dei, & ecclesiæ obtrusistis. Si uero tanti facitis spiritum sanctũ, cur non eius inspirationi obtemperatis? Etenim in Hierosol. Cõcilij (cui spiritus sanctus interfuit) decreto ita scribitur, Visum est enim spiritui sancto ac nobis, ne quid amplius imponeremus uobis oneris. Cur uos & maiores uestri hoc non seruastis? Quare uniuersis Christianis tot onera imposuistis? Cur nos hæreticos appellatis, propterea quod ecclesiã in pristinã libertatẽ asserere, & ab oneribus

ribus istis liberare conamur? Quod si uestræ constitutiones adeò ad salutẽ necessariæ sunt, cur uos ipsi nõ seruatis eas? Satis certe declaratis uos ex eorum numero esse de quibus dominus dixit, Imponunt enim onera grauia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere, Matth. 23. cap.

QVAESTIO XVI.

An Christiana ecclesia cõstituerit aliquid contra deum, ut ostendant, quid aut quibus in rebus aliquid contra deum constituerit?

RESPONSIO.

SVpra satis de sancta Christiana ecclesia respondimus, pendet illa à uerbo dei, ideoq; eam non accusamus. Nouam autẽ Romanã ecclesiã accusamus, & sæpe ostendimus quid in ea desideremus, & quam ob causam ipsam accusemus: atq; hoc idem passim in hac responsione ostenditur.

QVAESTIO XVII.

An habeant homines nec ne liberum arbitrium cum ad bonum tum ad malum.

RESPONSIO.

QVæstio de libero hominis arbitrio fundamentum est superbæ & arrogantis illius doctrinæ de humanis meritis: perinde quasi boni aliquid in nobis tanquam ex nobis sit, ac nos ex nostris uiribus libere facere possimus bonum, propter quod deinde deus nobis uitã æternam debeat tanquã meritam mercedem. Sed longe aliter sa-

Doctrinam liberi arbitrij arrogantẽ esse.

cræ literæ nos docent: nempe, hominẽ non posse quicquã boni ex seipso facere, neq; bonũ suis uiribus facere. Intellectus enim & ipsa uoluntas hominis non renati, ita per primam corruptionẽ & peccatum obscurata & infirmata est, & à uitijs atq; peccatis quasi capta, ut natura feratur ad malum, ad bonũ uero non est propensa aut idonea. Quæ nam igitur libertas, aut quod nam arbitrium liberum tali homini attribui potest? D. *Paulus inquit, Intelligentia carnis inimicitia est aduersus deum. Legi enim dei non subijcitur: nam ne potest quidem. Legatur præterea 3. cap. ad Rom.*

Rom. 8.

Quomodo Christiani liberi sint.

Quicunq; uero ex gratia per spiritum dei renati sunt, de his intelligenda sunt uerba Christi, Qui facit peccatum, seruus est peccati. Quod si filius uos liberauerit, uere liberi eritis. Liberi scilicet à peccato, diabolo, morte & inferis, ut liberi ac spontanei ex spiritu dei, absq; coactione faciatis bonum id quod facitis. Qui uero sic redempti, & Christiana libertate donati sunt, bona quæcunq; faciunt non ascribunt suis uiribus aut libero arbitrio, sed gratiæ Christi & spiritui diuino operanti, qui ipsos quoq; operari facit. Nam & Christus inquit, Is qui manet in me, & in quo ego maneo, hic fert fructum multum. Nam absque me nihil potestis facere. Et D. Paulus, Non idonei sumus ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam, uelut ex nobis ipsis: sed quod idonei sumus, id ex deo est. Et alibi, Quid aũt habes quod non acceperis? Quod si accepisti, quid gloriaris ut qui non acceperis. Item, Quia uobis datum est in Christi negotio, non solum in eum credere, sed etiam pro eo affligi. Et rursus, Deus enim est qui efficit in uobis & ut uelitis & ut efficiatis, pro gratuita sua beneuolentia. Etsi autem fideles quæcunq; faciunt libero spiritu ea faciunt, nihilominus tamen hæc ipsorum libertas plurimum impeditur & infirmatur, per uitia & infirmitatem carnis quæ semper ad mortem usq; remanet.

2. Cor. 3.

1. Cor. 4.

Philip. 1. 2.

net. Vnde etiam Paulus conqueritur, & ait, Caro pugnat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, ut non quæ uultis ea faciatis. Legatur hac de re 7. cap. ad Romanos. Interea autem non ampliorem libertatem homini tribuimus quàm quatenus gratia dei libere agit, ac ipse libere à spiritu dei regitur & conseruatur: quantum uero ad inhærentem nobis infirmitatem attinet, semper in homine remanet impedimentum spiritus, ita ut liberum hominis arbitrium quoad bonum nihil posßit, atque ita in bono uelle & facere gratiæ & spiritus dei est. Vnde etiam D. Paulus bona sua opera nõ libero arbitrio, sed gratiæ dei attribuebat, dicens, Sed gratia dei sum id quod sum: & gratia eius in me profecta non fuit inanis, sed amplius quàm illi omnes laborauí: non ego tamen, sed gratia dei quæ mecum est, 1. Cor. 15. No tato autem diligenter quod ait, Non ego tamen, sed gratia dei quæ mecũ est. Malum aũt, ut supra quoq; monuimus, nõ inuiti & coacti facimus, sed sponte ex insita nobis naturæ prauitate. Attamen cum laxis habenis ad Satanam currimus, Deus cursum nostrum impedire potest, & aliam nobis uoluntatem dare, quæ nos incitet & urgeat ad ea quæ ante nolueramus. Malum ex nobis esse.

DE FIDE ET BONIS operibus. V.

QVAESTIO XVIII.

Quid sentiant de fide, spe & charitate?

RESPONSIO.

BEne et recte sentio de his tribus summis capitibus Christianæ religionis, sicut uerbum dei sentire docet. Fides est hominis à deo illuminati firma fiducia, qua deo & unico eius filio domino nostro Iesu Christo, & ueraci eius uerbo Fides.

Spes. fidit, ad remißionẽ peccatorũ & uitam æternã. Spes est firma, patiens & consolatione plena expectatio earũ rerum quas credimus, præsertim si diutius differãtur, & lõge aliæ
Charitas. apparent quàm credebantur. Charitas in nostra corda effunditur, augetur & cõseruatur, & ad deum atq; homines pertinet, ita ut deum amemus super omnia, & proximum æque ac nos ipsos, quemadmodũ & Christus nos dilexit. Loca aũt scripturarum ex quibus descriptiones istæ desumptæ sunt, ideo omisi, ne libellus hic nimium excresceret.

QVAESTIO XIX.

An tres istæ uirtutes, fides, spes, charitas, una et eadẽ res, an uero distinctæ uirtutes sint in sacris literis: maxime uero num una possit esse altera?

RESPONSIO.

Vnãquãq; ex his tribus uirtutibus suã proprietatem habere.

Diuus Paulus de his tribus singularibus dei donis loquitur distincte, & unicuiq; suam proprietatẽ attribuit 1. Thess. 1. Gratias agimus deo semper de omnibus uobis, mentionem uestri facientes in precibus nostris. Indesinenter memoria repetentes efficacem uestram fidem, laboriosam charitatem, et tolerantem illam spem in domino nostro Iesu, &c. Quia uero gratias agit deo cumq; precatur, docet has uirtutes à deo gratuito hominibus donari, ideo eos deũ precari & gratias illi hoc nomine agere debere. Fidei autẽ attribuit efficaciam, quoniam ex fide oriuntur cuncta bona opera, etiam spes & charitas. Charitatem uero laboriosam nominat. Vera enim charitas laborat & exercet se quoad deum & homines, & suis laboribus delectatur. Spei autem tolerare & perseuerare ideo tribuitur, quoniam, ut Paulus ad Rom. 8. capite inquit, Spe seruati sumus. Spes autem si cernatur, non est spes. Quod enim quis cernit, cur speret? Si uero quod nõ uidemus speramus, per patientiã expectamus.

Itaq;

Itaq; fides, ſpes, charitas, diſtinctæ ſunt uirtutes, & ſingulæ proprias actiones habent. Vnde etiam diſtinctæ enumerantur à Paulo 1. Cor. 13. quo loco tria hæc eſſe dicit.

Rurſus uero iſtæ uirtutes ita inter ſe connexæ ſunt & ſe mutuo conſequuntur, ut ſeparatim haberi non poſſint. Nam qui uere deo uerboq; eius credit, hic ea quæ credit ſperat ſe adepturũ, & ea expectat: ſicuti Paulus docet ex Propheta Abacuc. Heb. 10. cap. Item qui uere credit, hic deũ diligit, quem ſcilicet credit unicũ ſummũ & æternũ ſuũ bonũ eſſe: hominem quoque diligit qui imago dei, & ab eo redemptus eſt, ut Ioannes in epiſtola ſua docet. Ideoq; D. Paulus ad Hebræos 11. cap. fidem per ſpem interpretatur, dicẽs: Fides eſt ipſa ſubſtantia ſeu eſſentia earum rerum quæ ſperantur. Et in priore ad Timotheum, oſtendit charitatem ex fide oriri, dicens: Porrò finis mandati eſt charitas, ex puro corde, & conſcientia bona, & fide non ſimulata. Tres iſtæ uirtutes cõnexæ ſunt & ex ſe mutuo oriuntur.

Quemadmodum igitur unus Sol, ſed non ſolus eſt: ita una quoque fides eſt, ſed non ſola. Vnicus quidem Sol eſt, et unica uera fides: ſed ex Sole duæ diſtinctæ res oriuntur, ita ut tria ſint in Sole, globus ipſe ſeu corpus Solis, ex quo deinde lux & calor oriuntur: hæc tria ita in uno Sole coniuncta ſunt, ut ſeparari non poſſint, interim tamen non confunduntur, ſed unumquodq; ſuam proprietatem ſeruat. Similiter tres iſtæ uirtutes, fides, ſpes, charitas, inſeparabiliter coniunctæ ſunt, neque tamen inter ſe confunduntur. Quare ſicut ex unico globo, quaſi ex eodem fonte lux & calor profluunt, ita ex fide quoque charitas & ſpes oriuntur. Et quẽadmodum globus Solis non eſt lux aut calor: ita fides nõ eſt ſpes aut charitas. Nihilominus tamen globus Solis non eſt abſque calore & luce, & fides non eſt abſque ſpe & charitate. Et ut Sol luce ſua ſplendet, non autem calore: ita fides quatenus Chriſtum recipit, iuſtificat nos coram deo, non Fides eſt unica, ſed nõ ſola. Fides iuſtificat.

quatenus amat. Quemadmodum uero non sequitur, globus Solis non est solus, sed lucem & calorem habet, igitur Sol non tantum sua luce lucet, uerum etiam calore: ita eodem modo non sequitur, quod aduersarij nostri aiunt, fides nō est sola, sed coniuncta cum charitate, idcirco fides non iustificat sola coram deo, sed charitas quoq;. Verum deinceps de iustificatione fidei copiosius, deo adiuuante, scribemus.

QVAESTIO XX.

An homines sola fide in Christum iustificentur corā deo, an etiam bonis operibus.

RESPONSIO.

Iustificare apud deū.

PRimum respondebimus & exponemus quid sit iustificari coram deo: id aūt est coram tribunali dei, coram quo omnes homines peccati & æternæ condemnationis rei peraguntur & conuincuntur, à peccato expiari, à pœna et culpa absolui, & haberi atque recipi in numerum filiorum dei & hæredum uitæ æternæ. Omnes autem nos coram dei tribunali peccati & æternæ damnationis reos fieri & conuinci, Paulus ad Rom. 3. cap. docet. Peccatorum autem expiationem & remißionem esse iustificationem, idem Apostolus docet Act. 13. cap. Absolutio autem à culpa & pœna seu condemnatione iustificatio ab eodem nominatur, Rom. 5. Adoptari postremo & recipi in numerum filiorū & hæredum dei, idem esse quod iustificari, ex eo colligere possumus, quod Paulus ait fide nos iustificari, Ioannes uero ait, Quotquot autem ei crediderunt, dedit eis hanc potestatem, ut filij dei fierent.

Propter quid nos deus in filios & hæredes adoptet.

Deinde quærendum est, quid nam illud sit, propter quod deus nobis remittit peccata, à condemnatione absoluit, et in filios

filios atq; hæredes adoptat. Causa itaq; huius rei proprie est gratia & misericordia dei, per quam deus nobis unicū suū filium donauit, qui humanam naturam assumpsit, & se morti nostra causa exposuit, ac suum sanguinem pro nobis effudit, ut nos à peccatis expiati, ab æterna morte & damnatione liberati, & liberi ab omni accusatione ad tribunal dei absoluamur: imò ut per Christum iusti (quoniam eius iustitia nobis imputatur pro nostra) hæredes fiamus æternæ uitæ. Quamobrem gratia dei, sanguis & mors Christi, eiusq; innocentia & iustitia, illud ipsum sunt cuius gratia non damnamur à deo, sed ab ipso in filios & hæredes adoptamur, et donamur uita æterna. Huius autem doctrinæ testimonia extant, in Paulo ad Rom. 3. 4. & 5. cap. 2. ad Cor. 5. Eph. 1. Coloss. 1. & 2. cap. & 2. Tim. 1. cap. &c.

Per quid nobis iustitia communicetur.

Præterea obseruandum est, per quid gratia dei in Christo, & redemptio, iustitia, atque uita æterna nobis communicentur, & à nobis uicißim recipiantur & nostra fiant, ut Christus, inquam, in nobis, & nos in ipso uiuamus. Per spiritum dei communicantur nobis omnia dona dei, sicuti ubiq; sacræ literæ testantur, & præsertim dominus ipse dicēs: Spiritus est qui uiuificat, &c. recipiuntur autem hæc à nobis per fidem, imò per solam fidem, neque per ullam aliam rem. Vnde recte dicitur, hominem sola fide iustificari. Nam & Christus ipse Ioannis 3 docet, nos eodem modo seruari oportere, sicut populus Israeliticus sanatus fuit ab ictu mortifero serpentum. Etenim sicut illi nulla alia ratione uitam conseruare poterant, quàm intuendo suspensum in castris æreum serpentem: ita nos quoq; nulla alia ratione à morte æterna liberari, & in æterna uita conseruari possumus, quàm ut intueamur Christum crucifixū. Hic autem aspectus est fides, imò sola fides. Etenim sicut ictū à serpente nulla penitus opera iuuabant, nō preces, ieiunia, eleemosynæ, sacrificia, et

Sola fide nos iustificari.

alia quæcunque, tantũ aſpectu ſerpentis ſanabatur: ita quoque fides ſola ſeruat. Quamobrem Chriſtus in Euãgelio 6. capite ait, Amen amen dico uobis, niſi ederitis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habetis uitam in uobis. Edere autem dominus ipſe interpretatur per credere. Qui uero plura teſtimonia cognoſcere uoluerit, quibus probetur nos ſola fide Chriſtum recipere, ac ipſum in nobis, & nos in ipſo uiuere, ideoq; nos ſola fide iuſtificari, legat Paulum ad Rom. 3. & 4. cap. & epiſtolam ad Galatas, in qua Apoſtolus 2. capite ita ſcribit: Viuo autem non amplius ego, ſed uiuit in me Chriſtus. Et uitam quã nunc uiuo in carne, uiuo per fidem filij dei, &c. Quamobrem cum dicimus ſolam fidem in Chriſtum iuſtificare, non tribuimus iuſtificationem fidei, quatenus noſtrum opus eſt (nam fides quoque gratia & donum dei eſt) ſed propterea quod fides tantummodo ſpectat gratiã dei in Chriſto, & huic ſoli, nec ulli præterea rei confidit. Gratia autem dei in Chriſto iuſtificat, ut ſupra oſtendimus. Itaque cum contendimus & pugnamus de hac propoſitione, Sola fides iuſtificat, gloriæ dei & Chriſti cauſa pugnamus, ne hæc alteri tribuatur: item ideo, ut uera ac ſolidam iuſtitiam habeamus.

Quare opera non iuſtificent.

Poſtremo explicandum eſt, quare iuſtitiam non tantum non attribuamus operibus, ſed etiam non feramus ut ea partim fidei, partim operibus aſcribatur, aperte nanque dicimus nos fide iuſtificari, non operibus. Primum itaq; omnino deus uult, ut non glorietur & confidamus nobiſipſis, ſed ipſi ſoli: ſicuti perſpicue traditur Rom. 3. 1. Cor. 1. Ierẽ. 9. capite. Qui uero operibus iuſtitiam communicant, illi his confidunt: ſed qui in Chriſtum credunt, à quo ex gratia peccata remittuntur et ſalus confertur, hi non gloriantur de ſeipſis, ſed ſoli gratiæ confidunt. 2. Omnia bona opera fiunt à bonis. Quod ſi arborem neceſſe eſt ante bonam eſſe quàm fru-

&us

ctus bonos ferat, ideoq; fructus non faciũt arborem bonam, sed signum potius sunt bonæ arboris: sequitur opera non iustificare, quandoquidem ab illis fiunt qui iam ante ex gratia iusti sunt. Quare omnes facile agnoscunt, non facere iustos bona opera, propterea ut iustificentur, sed potius quia iusti sunt: ita ut illi qui ante opera ex gratia iusti sunt, bona opera faciant, sicuti bona arbor fert bonos fructus. 3. Opera hominum etiam fidelium propter infirmitatem humanam, quæ remanet & inhæret in nobis ad mortẽ usque, nunquam adeo pura & perfecta sunt, ut fideles illis iustitiam ascribere ausint. Vnde Iob inquit, Etiamsi habuero quippiam, non respondebo, sed iudicem meum deprecabor. Et Dauid, Domine ne intres in iudiciũ cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo ullus uiuens. Quid item Paulus ad Rom. 7. scribat, manifestum est. 4. Si quisquam per opera iustificaretur, Abrahamus & Apostoli per opera fidei iustificati essent. Ipsos autem non esse iustificatos per hæc opera, diserte scribitur Rom. 4. & Galat. 2. capite. Quare iustificatio operibus, etiamsi uiua fidei opera sint, non est ascribenda. 5. Nihil in ecclesia Christi ferendum est, per quod obscuratur & aboletur mors & meritum Christi, ac gratia dei. Hæc autem abolentur si ascribamus iustificationem operibus: sicuti Paulus Galat. 2. & 5. cap. docet. Quare operibus iustificatio non est ascribenda. 6. Simpliciter retinenda est Apostolorum doctrina: illa uero docet nos ex gratia per fidem, non per opera iustificari: sicut Act. 15. & in omnibus Pauli epistolis apparet: huic ergo doctrinæ simpliciter & firmiter adhærendum est. Verum tamen ex multis testimoniis unicum duntaxat afferam, ut appareat totam nostram responsionem ad quæstionem 20. ex uerbis Pauli desumptam esse: is ergo ad Ephes. 2. cap. ita scribit: Gratia estis seruati per fidem: idq; non ex uobis: dei donum est:

Iob. 9. Psal. 142.

Summa huius doctrinæ.

non ex operibus, ne quis glorietur. Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad bona opera, quæ præparauit deus
e ut in eis uersaremur. Neminem uero arbitror esse, qui hæc clarius dicere possit: æquum ergo est ut Apostolicæ huic doctrinæ fides habeatur, neque homines ita miseri sint & impij, ut quemadmodum nonnulli faciunt, dicere ausint. falsum & hæreticum dogma esse, fidem non opera iustificare coram deo.

QVAESTIO XXI.

Si fides sola iustificat, num etiam diabolus, Iudas & alij ipsi similes seruati sint? Quod si non seruati sunt, an non sequitur homines non tantum per fidem seruari, sed etiam per charitatem & spem?

RESPONSIO.

Quales fidē diabolus et ipsi similes habeant.

DIabolus, Iudas, & Simon magus, & alij ipsis similes, non habuerunt ueram fidem in Christum: hanc enim si habuissent, Christum quoque & uitam habuissent, sicuti scribitur: Qui credit in filium dei, habet testimonium in se ipso. Est autem hoc testimonium, quod uitam æternam dedit nobis deus: & hæc uita in Filio eius est. Qui habet Filium, habet uitam. Quia uero isti uitam non habuerunt, ideo etiam fidem & Christum non habuerunt. Quemadmodū rursus scribitur: Qui non habet filium dei, uitam non habet. Item, Nam nisi credideritis quod ego sum, moriemini in peccatis uestris. Quod autem D. Iacobus ait dæmonia credere & contremiscere, & quod Lucas ait Simonem magum credidisse, non intelligendum est de uera, sed de falsa & simulata fide. Duplicis enim fidei mētio fit in sacris literis, ueræ & falsæ. Vera fides in Christo uiua & efficax est, in ipso iustificat, & facit deinde bona opera. Nequaquam tamen hinc

1. Ioan. 5.

Ioan. 8.

Iacob. 2. Act. 8.

sequitur,

sequitur, nos nõ per fidem, sed per ſpẽ & charitatẽ ſeruatũ iri. Si enim nõ ſeruamur ſola fide, tum falſa utiq; erunt quæcunque de Chriſto, de fide in Chriſtum, in Euangelio et Pauli ſcriptis leguntur. Quia uero credentes in Chriſtum hæredes quoq; ſalutis facti ſunt per Chriſti meritum, ſperant etiam & amant. Cum itaque ſcriptura iuſtificationem attribuit ſpei & charitati, uel bona opera fidelium iuſtitiam nominat, id non fit propter ipſa opera, ſed quia ueri fideles cum deo uniti ſunt in Chriſto, & in ipſo deo placent, ideo etiam opera eorum ei probantur: & quia per fidem in Chriſtum iuſtificati ſunt, opera quoq; iuſtitiæ faciunt: ita ut omnis gloria & honor fidei, imò Chriſto & gratiæ dei aſcribatur. Quamobrem cum dicimus, nos ſola fide coram deo iuſtificari, non dicimus fidem ſolam eſſe abſque ſpe, charitate, & bonis operibus: ſed ideo fidem ſolam iuſtificare dicimus, quod gratiam dei & Chriſtum eiusq; redemptionem (in ipſo enim uera iuſtificatio poſita eſt) fide recipimus, non autẽ propter opera quæ ex fide fiunt. Non quod illis fides careat, etenim ſi uera eſt, bona opera facit, ſicuti Petrus, Paulus, Iacobus & Ioannes docent, prius tamen iuſtificat, ac homo iam ex gratia per fidem in Chriſtum iuſtificatus, tum demum facit bona opera. 2. Pet. 1. Rom. 6. Iacob. 2. 1. Ioan. 1. &c.

Quomodo opera iuſtitia nominẽtur.

Fidem facere bona opera.

QVAESTIO XXII.

An credant bona opera facta ex charitate & gratia dei, propter Chriſtum & gratiam eius iure mereri uitam æternam?

RESPONSIO.

GRatia dei & Chriſti meritum, nõ poſſunt ſimul ſubſiſtere cum noſtris operibus. Nam D. Paulus aperte ait, Quod ſi per gratiam, nõ iam ex operibus: alioquin gra-

De merito operum.

tia iam non est gratia. Sin ex operibus, iam non est gratia: alioquin, opus iam non est opus. Rom. 11. *Idem docet Apostolus* Rom. 4. *& ad Galat. 2. ait, Non abrogo gratiam dei: nã si per legem est iustitia, igitur Christus sine causa mortuus est. Etenim si uitam æternam mereri poteramus, quid opus erat Christum pati?*

An meritũ nostrũ efficax sit per meritum Christi.

Objicitur autem hoc loco hominum merita, facta esse efficacia per meritum Christi. Sed hæc extra sacras literas cõfinguntur: illæ nanque docẽt iustitiam & salutem conferri nobis propter Christum, non propter nostra opera: quomodo ergo docerent opera nostra meritoria fieri per Christi meritum? Verum isti homines nolunt gratiæ dei omnia accepta ferre, sed ipsi quoque aliquid esse uolunt. Itaque in eo laborant, ut quoniam Christo gloriam concedere coguntur, nihilominus tamen aliquid etiam sibijpsis decidant. Atque in hunc finem abutuntur locis scripturarum, in quibus merces promittitur iustitiæ fidelium. Verum nos aperte fatemur, multa in sacris literis scribi de præmio & pœnis piorum & impiorum, sed præmium aut merces non ad meritum, sed ad gratiam pertinet: itaque cum fideles quicquam faciunt propter quod deus præmijs eos afficit, ea non accipiunt tanquam sua merita, quæ iure illis debeantur, sed ut gratiã, quod illis hæc gratuito à deo donentur. Et hoc ipsum aperta testimonia scripturæ docent, Paulus enim inquit, Nã stipendium peccati, mors: donum autem dei est uita æterna per Iesum Christum dominum nostrum. Peccatis quidem meremur mortem, iustitia autem nostra non meretur uitam æternam. Donum enim dei est quod Christus promeruit & gratuito nobis datur. Rursus uero idem Apostolus ait: Nam statuo, minime esse paria quæ præsenti tempore perpetimur futuræ gloriæ nobis reuelandæ. Interea tamen isti homines nihilominus omnibus persuadere conantur, nos tantas res

Præmium seu merces operum.

Rom. 6.

Rom. 8.

nostris

noſtris operibus promereri: ac de induſtria nolunt aduerte=
re fideli doctrinæ domini, qui ait, Ita & uos quum feceritis Lucæ 7.
omnia quæ iniuncta ſunt uobis, dicite, Serui inutiles ſumus:
quod debuimus facere, fecimus. Et ſententiæ D. Auguſtini,
Dona ſua coronat deus, non merita tua: Item, Si uis alienus
eſſe à gratia, iacta merita tua.

QVAESTIO XXIII.

An non Mariæ Magdalenæ peccata ſua remiſſa ſint propter uehementem charitatem, qua Chriſtum comple=xa eſt?

RESPONSIO.

SI Mariæ peccatrici *propter charitatem, qua dominum* Maria ideo
dilexit, peccata remiſſa ſunt, tum certe condonationem dilexit quia
hanc rependit, itaque non fuit gratuitum donum, neq; pecca peccata illi
ta illi ex gratia remiſſa ſunt. At Euangelium docet ipſam a= condonata,
deptam eſſe remißionem peccatorum, abſque ullis meritis. fuerunt.
Dominus enim duos debitores inquit fuiſſe cuidam credito
ri, quum autem illi non eſſent ſoluendo, donaſſe utriſque.
Quod ſi debitum illi remiſſum & condonatum eſt, tum cer
te ipſa ſua charitate hoc non promeruit aut perſoluit. Præ-
terea Euangelij uerba aperte docent, Mariæ charitatem or
tam eſſe ex condonatione, non autem cõdonationem ex cha
ritate: ita nanque ſcribitur, Horum igitur (eorum ſcilicet
quibus debita condonata ſunt) dic uter eum plus diliget? Re
ſpondens uero Simon, dixit: Exiſtimo is cui plus condona-
uit. At ille dixit ei, Recte iudicaſti. Et commemorat deinde
quanta charitate Maria ipſum complexa ſit, propterea
quod ab ipſo multa peccata eius remiſſa fuerant. Et tamen
iſti homines aperte contrarium aſſerere audent, quod ſcili-
cet dominus peccata illi condonarit propter ipſius charita=

tem. Sed obijciunt dominum dixisse, Remissa sunt peccata eius multa, nam dilexit multũ. Ad id respondeo, perinde hoc esse ac si dixisset, Remissa sunt peccata eius multa, ideo multũ diligit. Hunc enim sensum esse uerborũ domini ea quæ antecedunt, & quæ sequuntur docent: statim enim post hæc uerba dominus addit, Cui autem paululum remittitur, paululum diligit. Deinde dominus sermonem ita concludit, Remissa sunt tibi peccata. Fides tua te seruauit: uade in pace. Ecce quid ipsam seruarit, primum quidem gratia domini, per quam illi remissa sunt peccata, deinde fides per quam recepit gratiam dei, & se totam illi commisit. Ex his pacem & tranquillitatem nacta est, & uere dilexit.

QVAESTIO XXIIII.

An non Christus eos repudiarit qui in ipsum crediderunt, & in nomine eius dæmonia eiecerunt, non autem bona opera fecerunt: imò an non omnes eos ad uitam æternam uocaturus sit, qui fecerunt bona opera, & æternæ damnationi extremo die adiudicaturus sit eos qui operati sunt iniquitatem?

RESPONSIO.

Fides mirabilium.

FIdem miraculorum distinctam esse à fide in Christum, iam olim notũ fuit. Quare non sequitur, Fides miraculorum non seruat eos qui miracula faciunt, ergo uera fides in Christum non seruat. Quemadmodum non sequitur (ut supra ostendimus) Diabolus credit & non seruatur, igitur fides non seruat. Alia enim est diaboli fides, alia uere fidelium, qua confidunt gratiæ & promissioni dei.

Quare dominus secũdum opera & nõ secundum fidẽ iudicaturus sit.

Christus præterea extremo die iudicabit hominum mores: illi enim de rebus manifestis & cognitis iudicant, idq; etiam

tiam Christus faciet. Quoniam autem fides est donum dei spirituale & inuisibile, attamen se per opera exerit, ita ut ex illis coram hominibus appareat quinam fideles sint aut infideles, ideo dominus secundum opera iudicat. Sed audiamus ipsam iudicis sententiam: Venite (inquit) benedicti Patris mei, hæreditatem accipite, seu possidete regnum paratum uobis à iactis fundamentis mundi. In quo autem nisi in Christo benedicimur? Galat. tertio cap. Quod si hæreditate regnum uenit, id ex gratia est. Prætereà si paratum est ante iacta fundamenta mundi, tum antequam nascerenmur & bona opera facere possemus, paratū est. Qua de re plura scribit Paulus ad Ephes. primo capite. Hæc de fide & bonis operib. dicta sint, quæ nos non uituperamus aut damnamus, quemadmodū aduersarij nostri falso nos accusant, tantū modo nolumus ea illis attribui quæ soli Christo debētur. Alioquin hortamur ad uere bona opera, non ea quæ à nobis cō finguntur, sed quæ deus præcipit et ex uera fide fiunt, et quibus non utimur ad nundinationem. Testamur etiam ecclesias quas docemus, nos omnes illos grauiter reprehendere & damnare, qui fidem iactant, uerum ipsam nullis bonis operibus demonstrant. Matth. 25.

DE INTERCESSIONE, INVOCATIONE, & ueneratione sanctorum qui in cœlo uiuunt. VI.

QVAESTIO XXV.

AN non Christus & omnia eius membra, hoc est, angeli & sancti qui in cœlis uiuunt, orent deum pro uniuersa ecclesia seu pro Christianis?

Christũ esse unicũ intercessorẽ apud deum Patrem.

IN Euangelio & Apostolorum scriptis aperte & fideliter docetur, Christum pro uniuersa ecclesia seu pro fidelibus suis orare, & ipsorum unicum intercessorem, aduocatum & mediatorem esse apud cœlestem Patrem. Nam dominus ipse in Euangelio inquit: Amen amen dico uobis, quæcunque petieritis à Patre in nomine meo, dabit uobis. Vsque nunc non petistis quicquam in nomine meo: petite & accipietis, &c Ac rursus, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego faciam ut uos requiescatis. His igitur Christi uerbis, omnes in tota ecclesia fideles firmiter credunt, ideóque Christum accedunt, ut unicum intercessorem & aduocatum apud deum Patrem. Firmiter enim credunt ipsum esse Christum, hoc est, unctum & constitutum regem & pontificem ad dextram dei, qui nos liberauit, ascendit in cœlos ad dextram dei, ut perpetuo pro nobis appareat apud
Heb 9. cœlestem Patrem, sicuti Paulus inquit Christum ingressum
Rom.8. esse in cœlos, ut appareat in conspectu dei pro nobis, pro nobis intercedat & oret. Quia autem intercessio inter præ-
Heb.7. cipua munera sacerdotis aut pontificis numeratur, & sacerdotium unum est, & ita unicum, ut non possit in aliũ transferri, aut cuiquam alteri communicari & attribui, unde etiam æternum & immutabile nominatur: idcirco non quærunt fideles, præter Christum, alium pontificem, aduocatum & intercessorem, non angelos aut sanctos qui in cœlis uiuunt. Verum Christo contenti sunt, & ipso utuntur unico aduocato & intercessore apud deum, utpote qui & acceptissimus sit Patri, et qui fidelissime, promptissime, optime, efficaciter et sapientissime hoc munus obire possit. Etenim angeli & sancti nullo modo Christo conferri possunt. Præterea ea quæ petimus præstare potest & uult, nouit etiam nostras necessitates, ac nos ad se uocat, non tædio nostri

ſtri afficitur: ſcit quid nobis utile ſit, & quomodo omnia quàm commodiſſime fieri poſſint. Hæc autem omnia cum in his terris ageret, dictis & factis ſuis confirmauit. Nam & omnes libenter audijt, imò neceſſitates aliorum melius nouit, quàm ipſi uerbis exponere potuerint: nullius tædio affectus eſt: omnes morbos curauit, omnes iuuit, neque unquam exhauſtus eſt, ſed cum multos iuuiſſet, nihilominus æque multa dona, gratiam & auxilium, atque ante unquam habuit. Quinetiam cum quandoque diſcipuli homines ablegare uellent, non tulit æquo animo: quo magis uero homines ipſum quaſi oppreſſerunt, & multa ab eo poſtulârunt, eo magis uirtutem ſuam declarauit, & ſubinde hortatus eſt ut conſtanter ad ſe accedant, &c. Quare ex his omnibus fideles hanc conſolationem habent, eundem Chriſtum Ieſum dominum noſtrum, nunc in cœlis ad dexteram dei, non minus benignum, efficacem, & promptum atque expoſitum eſſe omnibus illis qui ei confidunt. Ideoq; in omnibus ſuis neceſſitatibus Chriſti interceſſione in cœlis contenti ſunt. Maxime cum Paulus dicat, Vnus eſt deus, & unus mediator dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus: qui ſeipſum dedit in redemptionis pretium pro quibuſuis. Et Ioannes: Quod ſi quis peccauerit, aduocatum apud Patrem habemus, Ieſum Chriſtum iuſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: nec pro noſtris ſolum, ſed etiam pro totius mundi peccatis.

1. Tim. 2.

1. Ioan 2.

De interceſſione itaque domini noſtri Ieſu Chriſti in cœlis, aperta hæc & inuicta teſtimonia ſcripturarum habemus, de interceſſione uero angelorum & ſanctorum qui in cœlis uiuunt, nulla huiuſmodi teſtimonia habemus, ideo ſancti eam non multum curant. Imò qui uere credunt uerbo dei, in quo unus nobis interceſſor in cœlis Chriſtus proponitur, non quærunt aliam interceſſionem in cœlis, quippe

Scripturas nihil dicere de interceſſione angelorũ aut ſanctorũ in cœlis.

cum hanc perfectam & plenam in Christo habeant. Qui uero non credunt, neque Christum pro unico & perfecto intercessore & mediatore suo agnoscunt, hos, utpote infideles, nullæ preces angelorum & sanctorum in cœlis iuuabunt, etiamsi pro illis orent.

QVAESTIO XXVI.

Si Christus solus est unicus noster intercessor, quare nos docuit hãc orationem quã ab ipso Dominicam appellamus: qua Apostoli quoque usi sunt, & unanimes simul perseuerarunt in orationibus: sicut in Actis Apostolorum primo capite scribitur?

RESPONSIO.

Quomodo orationẽ dominicam in Christi nomine oremus.

FAcile ex hac quæstione omnibus apparet, miseros istos homines, quicunque tandem harum quæstionum authores fuerunt, nunquam solide intellexisse orationem sanctam et omnibus communem quam Dominicam nominamus. Perinde enim de ea loquuntur quasi ipsam ex nobis extra Christum oremus. Cum potius oratio hæc, Christi domini oratio sit & nominetur, non tantum ob hanc causam quod ipse hanc formulam præscripsit, sed ideo quod nunc quoque hanc ex ipsius ore oramus. Etenim cum orationem Dominicam oramus, precamur illis uerbis quasi Christi ore: itaque Pater qui Filium amat, eius uerba & orationem agnoscit, ac illa Patri grata est, imò propter Filium nos exaudit. itaque Filius unicus est intercessor, etiam in oratione Dominica, quam cum Apostolis oramus, uerum propter Christum non propter Apostolos exaudimur. Nam & ipsorum preces per Christum deo acceptæ & efficaces factæ sunt. In Actis petebant donum Spiritus sancti, de quo tamen ante

dominus

dominus in Euangelio dixerat, Patrem ipsum Christi nomine missurum. Quare ubique apparet, Christum omnium fidelium ueram aduocatum & intercessorem esse. Mirandum certe esset, quanam de causa isti homines plus sanctorum quàm Christi intercessionem urgerent, nisi facile appareret ipsos in eorum numero esse, de quibus Paulus ad Romanos primo capite ait: Qui coluerunt res creatas supra creatorem, &c.

QVAESTIO XXVII.

An Angelorum & sanctorum in cœlis charitas erga nos extincta sit, cum tamen Paulus dicat charitatem non extingui?

RESPONSIO.

CHaritas neque in cœlis neque in terris id efficere potest, ut sancti sibi uendicent ea quæ solius Christi in cœlis sunt, ueluti sacerdotium illius, & mediatoris officium, ut apud deum patrem intercedant. Præterea in sanctis omnia purgantur & perficiuntur, postquam ex hac uita & carne in æternam felicitatem euocati sunt: ideoque charitas quæ malorum calamitate in hac uita non gaudet, in futura non tristatur aut dolet propter eorum damnationem. Et quoniam in cœlis deus omnia est in omnibus, & sancti totos sese dediderunt diuinæ uoluntati, ita ut dei uoluntas præcipuum & summũ eorũ gaudiũ sit: unde etiã oramus, Fiat uoluntas tua sicut in cœlis ita et in terra: ideo nulla charitas eos mouet ad intercedendũ. Etenim norunt et experiuntur omnem plenitudinem in Christo esse, & illi nihil eorum deesse quæ ad intercessionem requiruntur: imò ipsum omnia apud Patrem perfecte exequi, ac solum sua intercessione omnibus fidelibus sufficere: Patrem uero uident humanum genus ama

An sancti in cœlis pro nobis orent ideo quia charitatẽ habẽt.

re,& uelle ut omnes qui gratiam adipiſcuntur, per Chriſtum eius participes fiant. Ideoq; ſcribitur ſeniores coram dei throno procidere, & illi omnem gloriam & honorem tribuere: inter alia uero de Agno dicere, Dignus es qui librum accipias & aperias ſigilla eius, occiſus enim es & ſanguine tuo nos redemiſti, Apoc. quinto capite. Charitas uero noſtra erga Apoſtolos non extincta eſt, etiamſi deum pro illis non oremus. Credimus enim ipſos beatos eſſe, neque noſtris precibus opus habere. Eodem modo cum ipſi in cœlis uideant nihil deeſſe interceſſioni Chriſti, neque alijs interceſſoribus præter Chriſtum opus eſſe, an non etiam ipſorum charitas abſq; interceſſione inextincta eſt?

QVAESTIO XXVIII.

An ſancti in cœlis inferiores ſint hominibus qui in his terris degunt? Cum ergo Paulus iuſſerit ut pro nobis inuicem oremus, et Apoſtoli paſſim petierint ut alij pro ipſis orarẽt, quare non etiam Apoſtolorum preces in cœlis ut digniores & præſtantiores petendæ eſſent?

RESPONSIO.

An ſancti quia in his terris orarunt pro hominibus, ideo etiam nunc idem in cœlo faciant?

QVantum ex hac quæſtione apparet, hoc nobis impingere conantur, quod nihil præſtantius de ſanctis in cœlo ſentiamus, quàm de hominibus in his terris peccato obnoxijs: perinde quaſi eos adhuc infirmitati & miſeriæ obnoxios facere uelimus. Verum hac in re nobis iniuria fit. Etenim ſanctos qui in cœlis uiuunt, nulli infirmitati & corruptioni ſubijcimus: ueſtra potius doctrina hoc nomine ſuſpecta eſt. Docemus enim & credimus, ſanctos in cœlis multo præſtantiores eſſe quàm in his terris. Quandoquidem ab omni infirmitate liberi, perfecti et puri abſq;

abſq; omni ſolicitudine, anxietate & mœrore apud deum uiuunt, & in æternis gaudijs exultant: ideoq; noſtras in terris miſerias ignorant, quando eos turbare & mœrore afficere poſſent. Liberi ſunt ab omni ſolicitudine & omnibus illis rebus quæ ipſos aliqua moleſtia afficere poſſent, & in deo perpetuò gaudent. Legatur hac de re 7. & 21. cap. Apoc. Miſeriæ omnes huius mũdi ſoli deo & filio eius domino noſtro Ieſu Chriſto notæ ſunt, uerum abſq; ulla anxietate, ſolicitudine & mœrore. Sancti uero in cœlis non norunt omnia quæ eodem tempore ubiq; per totum terrarũ orbem fiunt (neq; enim hoc rationibus confirmatum & probatum eſt, quod nonnulli aiunt ipſos in deo omnia tanquam in aliquo ſpeculo cernere) non ſunt omnipotentes ad uuandum, non ubiq; præſentes ſunt, neq; hominum corda inſpiciunt, præterea arcana, cogitationes, & res occultæ illis non ſunt manifeſtæ. Hæc enim omnia diuinæ ſapientiæ & maieſtati propria ſunt. Veruntamen gaudio & gloria cœleſtis uitæ excellenter abſq; omni defectu fruuntur. Gloria ſanctorum in cœlis.

Etſi autem ſancti in hac uita nos inuicem pro nobis orare iuſſerunt, & ipſi quoq; pro alijs hominibus orarunt, & aliorum pro ſe preces petierunt, non tamen hinc ſequitur eos nunc quoq; in cœlis pro nobis orare, aut nos debere eorum interceſſionem petere, ut qui nunc quoq; in cœlis pro nobis orent, quia ante quoq; in his terris orarunt. Hoc tamen ſequitur, nobis quandiu in his terris uiuimus id faciendum eſſe, ut pro nobis mutuo oremus, & aliorum preces petamus. Alia autem (ut iam diximus) ratio eſt ſanctorum qui in cœlis uiuunt. Nam non omnia in cœlis faciunt quæ in his terris fecerunt. Expreſſum mandatum habemus, quo iubemur pro nobis inuicem orare in hac uita. Viciſſim itaq; ab illis cognoſcere cupio, an unicum uerbum aut literam ſacrarum literarũ oſtendere poſſint, ubi præcipiatur ſanctis qui

in cœlo uiuũt, ut pro nobis orent: aut ut ostendant, Apostolos iußisse precari Angelos & sanctos ut pro nobis intercedant: uel ut exemplum afferant alicuius Apostoli, qui Angelum aut sanctum aliquem inuocarit ut pro ipso intercedat. Quod si, ut necesse est, nihil tale proferre poterunt, quando quidem inuicta ueritas eos solum deum inuocasse testatur, & interceßione Christi contentos fuisse: tum ipsi quoque Christo contenti sint, & interceßionem hanc relinquant, pro qua nullum uerbum aut testimonium ex uerbo dei perferre possunt. Cum nõ dubitandum sit, si aliqua esset sanctorum in cœlis interceßio, saltem uel uno uerbulo scripturam aliquo loco ipsius mentionem facturam fuisse.

QVAESTIO XXIX.

An diues damnatus apud inferos non etiam orarit pro suis propinquis? Quamuis propter peccata & damnationem suam non sit exauditus à deo: quibus tamen Angeli & sancti carent.

RESPONSIO.

An Diues ille Lucæ 16 pro fratribus suis orarit.

REctius certe miseri isti homines hanc quæstionẽ omisissent, si nullum aliud certius argumẽtum & testimonium habent, quàm miserum hunc perditũ diuitem. Verum hæc diuina ultio est, propterea quod certißima, optima, fidelißima & perfectißima interceßione Christi nõ sunt contenti. Etenim si hanc solam perfectam esse iudicant, quare aliorum interceſſorum mentionem faciunt? Quia uero frequenter aliorum interceſſorum mentionem faciunt, qui tamen interceſſores non sunt, neq; esse uolunt, & quia potius creaturarum quàm Christi interceßionem hominibus commendant, non contenti sunt Christo, & merito tanta cæcitate à deo puniuntur. Præterea in sacris literis nõ traditur

Diuitem

Diuitem illum inuocasse deum, & orasse pro suis fratribus ut illorum deus misereatur, sed petijsse potius ut ipse liberetur quo eos monere posit. Hoc autem ideo illi denegatum est, quod deus uiuos non uult respicere in mortuos, & ab illis expectare doctrinam, reuelationes & salutem, sed contentos esse uult sacris literis & earum doctrina. Quod si idem sentiunt nostri aduersarij, age contenti sint Christi intercessione, quam unicam sacræ literæ nobis proponunt & approbant. Quamobrem hæc similitudo contra ipsos facit.

QVAESTIO XXX.

An non credant beatam uirginem deiparam, angelos, Apostolos, Martyres et reliquos sanctos qui in cœlis cum deo uiuunt, suppliciter uenerandos seu honorandos esse, & inuocandos ut nos iuuent & pro nobis intercedant?

RESPONSIO.

De uenerationе sanctorum.

Distinguimus hoc loco uenerationis nomen. Nam si uenerationis nomine intelligatur adoratio et inuocatio, preces, dies festi, ieiunia, dona, sacrificia, eleemosynæ, sacellorum extructio, candelæ accensæ & alia huius generis, tum deum solum adorandum, inuocandum & uenerandum esse docemus, non autem sanctos. Imò sancti nolunt ab hominibus hac ratione uenerari & coli. Si autem uenerationis nomen significat honeste & magnifice de ipsis sentire, eos ut amicos dei præstantes & glorioſos agnoscere, laudare et celebrare, & ut singulares dei ministros & membra Christi amare, libenter credimus, et syncere absq; dolo fatemur, omnes pios beatam & deiparam uirginem Mariam, Angelos, Apostolos, Martyres, & omnes sanctos merito debere uenerari. Omnes præterea damnamus, qui conteptim iudicant de sanctis qui in cœlo uiuunt.

Quid sentiendum sit de beata virgine.

Præsertim uero beatam & omni laude dignam uirginẽ Mariam agnoscimus puram et intemeratam uirginem esse, ante partum, in partu, & post partum: ac benedictam & celebrem esse præ omnibus mulieribus, ex eiusq; utero natum esse filium dei, & ideo bene rectéq; Deiparam nominari. Agnoscimus etiam & fatemur ipsam fuisse singulariter dilectam dei famulam, quæ propter fidem, charitatem, puritatem, humilitatem, sanctimoniam, patientiam, spem, et similes uirtutes nunquam satis laudari posit, ac ipsam præ omnibus sanctis singulari gratia & excellentißimis donis ornatam esse, ideoq; honore & laude dignam esse, neq; contemptim & contumelioſe de ipsa sentiendum.

Quid de Apostolis & reliquis sanctis sentiendũ sit.

Apostolos uero domini nostri Iesu Christi agnoscimus electos, præstantes, & singularibus donis ornatos, amicos & seruos dei fuisse, per quos dominus Euangeliũ suum nobis annunciari uoluit, & mundum hac ratione illuminauit, ac nos è faucibus satanæ liberatos, in Christo in filiorum numerum adoptauit. Apostolorum uero & Martyrum atq; omnium sanctorum doctrinam, fidem, charitatem, uirtutes, & sanctum uitæ exemplum, contra omnes dei & sanctorũ hostes defendimus, deum in ipsis laudamus, & ipsos tanquã eiusdem nobiscum corporis membra sub unico capite Christo diligimus, eorum fidem & uitæ exemplum imitari studemus, ut post hanc uitam unà cum ipsis apud deum æternis gaudijs fruamur. Quæcunq; præterea sacræ literæ docent sanctis tribuere, de illis sentire, eos honorare, hæc nobis non sunt molesta & grauia, sed merito quæcunq; deus illis concessit, nos quoq; libenter illis tribuimus.

Quomodo sancti uenerandi sint.

Cur autẽ ipsos non afficiamus illis honoribus quos Pontificij à nobis requirunt, nempe ut ab ipsis tanquam intercessoribus & seruatoribus nostris auxiliũ in rebus aduersis petamus, rationes & causas breuiter exponemus: & ostendemus

demus quare hoc facere detrectemus, & subinde urgeamus & in eo perseueremus ut solus deus adoretur, inuocetur et colatur: & ut dominum nostrum Iesum Christum unicum & æternum coram deo patre in cœlis mediatorem & intercessorem agnoscamus. Primum itaq; expressum mandatum habemus, Deum & neminem præterea in omnibus necessitatibus adorandum & inuocandum esse, ac unum deum solum satis nobis esse, et eum uelle ac posse dare omnia quæ corpori & animo necessaria sunt. Nam & nos ad se uocat, & omnia bona pollicetur, & inaugnatur quando aliò, non autẽ ad ipsum confugimus: cum uero ipsum accedimus, rem facimus illi gratam, & eum hac ratione ueneramur. Deinde omnium sanctorum, & in Psalmis innumera exempla docent, deum solum in omnibus rebus inuocandũ esse, & propter cuncta bona illi agendas esse gratias. Præterea communis & sancta illa oratio Christi, quam Dominicam nominamus, soli deo patri, nec ullis creaturis, dici & offerri potest. Itaq; si nihil præter Dominicam orationem haberemus, tamen ex hac scire oportebat, solum deum inuocandum esse. Postremo Paulus eum inuocari dicit in quem credimus: sed in solum deum credimus: quare eum solum inuocare debemus, ut qui solus etiam, & nemo præterea, iuuare sciat, possit & uelit. Rom. 10.

Interea uero non reijcimus Christi interceßionem, neq; dicimus, nos nullo intercessore apud deum opus habere Sed quemadmodum solus deus inuocandus est, ita nulla alia interceßione uti debemus, neq; alium aduocatum et intercessorem coram patre desiderare, quàm solũ Christum Iesum. Quoniam hunc solum pater ad hoc munus elegit & in ipso exaudit & recipit nostras preces, sicuti supra abunde ostendimus. Intercessore coram deo opus habemus.

Angeli & sancti nos à se ad Christum remittunt.

Quinetiam si sanctis obtemperare & illis seruire uolumus, deo duntaxat & Christo seruatore nostro cõtenti erimus. Nam ad hunc solum ipsi sancti semper omnes homines remiserunt, neq; paßi sunt se inuocari aut coli. Sin uero arbitramini sanctos non ad Christum, sed ad alios quoq; remisisse, ostendite quinam illi sint. Nos enim nostram sententiã scripturarum testimonijs confirmabimus. Etenim cum D. Ioannes bis (ut in Apoc. 19. & 22. cap. scribitur) corã angelo procubuisset ut ipsum ueneraretur, utraq; uice angelus illi respõdit: Vide ne hoc feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorũ prophetarum. Deum adora. Præterea in nuptijs in Cana oppido Galilææ, cum defeciſſet uinum, dicit mater Iesu ad eum, Vinum non habent. Dicit ei Iesus, Quid mihi tecum mulier? nondum uenit hora mea. Dicit eius mater ministris, Quodcunq; dixerit uobis, facite. Atq; hæc est unica uoluntas Mariæ, ut quæcũq; Filius dixerit faciamus. Quia uero iubet ut ad se ueniamus, se inuocemus, et suo nomine oremus, haud dubie beata uirgo uult nos hæc facere, atq; illi seruimus, cum non ipsam, sed Filium inuocamus. In Actis Apostolorum de Petro & Ioanne scribitur, quod cum hominem claudum ad portam templi sanassent, cucurrit totus populus ad eos expauefactus: sed Apostoli populum à seipsis ad Christum remittebant, dicentes: Quid miramini super hoc? aut quid intentos oculos in nos habetis, quasi nostra ui & pietate effecerimus ut hic ambularet? Deus ita glorificauit Filium suum, &c. Similiter Paulus & Barnabas cum etiam ipsi claudum sanassent, Act. 24. & Lystrenses eis immolare uellent, Paulus ab ea re tanquam in deum contumelioſa abhorruit, & ruptis uestibus Lystrenses diligenter docuit, Deum solum colendum esse, non Apostolos qui & ipsi homines sint. Eodem modo Ioãnes Baptista, quo nemo sanctior natus est ex muliere, cuius laudes etiam Christus

Ioan. 2.

Act. 3.

ſtus dominus prædicauit, diſcipulos à ſe ad Chriſtum ut uerum ſaluatorem remiſit, imò eos obiurgauit, eò quod plus quàm deceret ipſi attribuerent: etſi non tantum quemadmodum nunc ſanctis ſolet illi Ioanni attribuebant. Lege in Euangelio Ioannis 1. & 3. cap. *Quare cum certum ſit ſanctos in cœlis ſententiam hanc non mutaſſe, certum etiam eſt, dum taxat deum per Chriſtum inuocandum eſſe, & ab ipſo auxilium & omnes res neceſſarias petendas, non autem à ſanctis.*

DE RELIQVIIS SANCTORUM, Imaginibus, & ſimilibus rebus. VII.

QVAESTIO XXXI.

An credant peregrinationes ad oſſa aut ad templa ſanctorum pias eſſe?

RESPONSIO.

Quid nam ſit pium. De peregrinationibus.

Quæſtio hæc tres alias in ſe cõplectitur. 1. Quid de peregrinatiõibus ſentiamus, quæ religionis cauſa ſuſcipiuntur? 2. Quid ſentiamus de reliquijs ſeu oſſibus ſanctorũ? Quid de ipſorum templis ſentiamus? Ad hæc ſic reſpondemus: Ea pia eſſe quæcunq; ab hominibus ex mandato & uerbo dei fiunt. Quare ſi uultis ut peregrinationes iſtas pias iudicemus, oſtendite ex ſcripturis uobinam à deo inſtitutæ & mandatæ ſint. Nos equidem cum ne literam quidem in tota ſcriptura ſacra nouimus quæ harum peregrinationum mentionem faciat, tum etiam certò ſcimus dominum docuiſſe non habendam eſſe locorum rationem in his terris, neq; huc atq; illuc currendum pro impetranda gratia. Deum nanq; præſentem & propitiũ eſſe

ubicunq; fideles gratia opus habent, & ipsum uera fide inuocant: Psal. 107. & 145. Amos 5. Ierem. 7. & 23. Ioan. 4. 1. Tim. 2. & alijs locis compluribus. Ad hæc autem cum in superioribus quæstionibus ostenderimus, sanctos nos à seipsis ad Deum & Filium eius Iesum Christum remittere, manifestum est huiusmodi peregrinationes ipsis non probari, neq; utiles & salutares esse his qui eas suscipiunt, ideoq; nullæ à nobis suscipiuntur.

De reliquijs sanctorum.

2. Pet. 1.

Ossa & reliquiæ sanctorum trium sunt generũ, Etenim uel scripta sunt quæ doctrinam eorum continent: uel partes & membra aliqua corporis: uel res aliquæ externæ quibus usi sunt, ut uestes & similia. Scripta itaq; quæ ipsorum doctrinam continent, sunt ueræ reliquiæ, imò ingens thesaurus Christianorum, quæ summo in honore habenda sunt. Sanctorum corpora & ossa etiã ipsa suo honore digna sunt, utpote quæ partẽ habent in resurrectione mortuorũ, eamq; expectant, & domus fuerunt tam excellentis spiritus quo sancti illi præditi fuerunt. Verum quemadmodum patriarcharum corpora, Mosis, Aaronis, Iosue, Regum, Prophetarum, & sanctum Christi corpus, Ioannis item & Stephani, atq; Apostolorum, honorifice sepulta sunt: ita etiam ossa sanctorum ad resurrectionem terræ mandanda sunt, neque effodienda & in ecclesia ad uenerandũ proponenda Christianis hominibus. Sicuti etiam Athanasius docuit in uita S. Anthonij. Præterea si quicquã habemus quod certò scimus sanctorum fuisse, ab ipsis in uita usurpatum esse, id tamen nullo modo uenerandum est. Nam ut ueteres docent, talis ueneratio reuera superstitio est, quæ deo pariter & sanctis displicet, ut supra ostendimus.

Reliqua quæ de reliquijs adduci possent hoc loco omittam, præsertim quod in his apertæ fraudes deprehẽduntur. Sæpe enim duobus tribúsue locis unius sancti caput, aut brachium,

chium, aut aliud membrum ostenditur, quasi biceps aut triceps fuerit, & alia membra præter communem hominum naturam geminata habuerit. Deinde res futiles & cõfictæ reliquiarum loco ueneranda hominibus proponuntur, quibus potius sanctorũ honor imminuitur quàm ut aliquid hinc augeatur. Præterea in his tam impudenti nundinatione, & tanta audacia utuntur, ut honesti homines, quibus non in uniuersum Pontificia religio displicet, nihilominus tamẽ hæc probare non possint.

De templis quæ in honorem sanctorum extruuntur.

Templa postremo & sacella non extruenda sunt sanctis qui nunc in cœlo uiuunt, sed illis ut hominibus mortuis sepulchra tantum fieri debent. Quamobrem arbitramur templa in honorem sanctorum bono quidem animo olim ædificata esse à ueteribus, attamen deo & ipsis sanctis non placere. Neq; enim creaturis templa ædificanda, & in eorum nomine ecclesiæ congregandæ sunt: nam hic honor soli creatori conuenit: quemadmodum multipliciter id diuinis & humanis testimonijs probari posset, quæ nos breuitatis causa omittimus.

Quid de templis sentiendum sit.

Alioquin necessarium arbitramur ut Christiani templa habeant, extructa in honorẽ dei & domini nostri Iesu Christi, in quibus uerbum dei annuncietur, publicæ preces fiant, sacramenta administrentur, eleemosynæ ab ecclesia conferantur. De huiusmodi tẽplis honorifice sentimus, atq; adeò libenter dei & Christi ædes et templa nominamus: quæ nullo modo profananda sunt. Sicuti alibi copiose docui.

QVAESTIO XXXII.

An credant bonum & pium esse ut candelæ ardeant coram sacramento altaris, & imaginibus atq; reliquijs sanctorum?

RESPONSIO.

De usu luminum in templis.

CAndelarum usus in templis necessarius est ad pellendas tenebras nocturno tempore, ueluti mane ante lucem, &c. Hoc autē modo etiam Apostoli luminibus in ecclesia usi sunt, Act. 20. Lumina autem accendere loco sacrificiorum, ad cultum dei aut sanctorum, uel propter animarum salutem, repugnat sacris literis, & à Lactantio uetustissimo scriptore damnatur. Corda nostra in Nouo Testamento deo accendenda sunt, & omnis generis bonis operibus lucendum est, idq; gratum deo sacrificium erit.

Inst. lib. 6. cap. 1.

Matth 5. Rom. 12.

Lumina coram sacramento.

Quoniam uero sacramentum dominus iubet accipere et edere, non licet certe illud seruare & includere, sed id sumi oportet: ideoq; non opus est ut lumina coram illo apponantur. Id potius curent qui sacramentum sumunt, ut ueram & ardentem atque lucentem fidem in cordibus suis habeant. Luminum usus coram sacramento res noua, & nuper ab hominibus instituta est, incognita penitus ueteri ecclesiæ.

De imaginibus.

De imaginibus hæc est nostra sententia: Deus imagines ad uenerationem factas prohibuit, primum in decalogo, 2. præcepto primæ tabulæ: deinde sæpius in lege, Prophetarum & Apostolorum scriptis imagines in uniuersum & grauiter prohibuit, imò horribiliter minatus est omnibus his qui uel faciunt uel uenerantur imagines. Quamobrem id quod deus malum nominat & prohibet atque execratur, nos non possumus bonum appellare. Si quis uero hac de re testimonia desiderat, legat Exod. 20. Deut. 5. & 4. & 7. atque 27. caput. Psalm. 113. Esa. 40. & 44. Ierem. 10. Rom. 1. 1. Corinth. 10. 1. Petri 4. & 1. Ioan. 5. &c. Quod autem quidam aiunt, se non signum, sed rem signatam uenerari, non est uera & solida ratio: quoniam deus & sancti ipsius nolunt hac ratione coli. Præterea imagines non sunt similes

similes deo aut sanctis. Deus enim immensus & infinitus spiritus est, summæ potentiæ, ineffabilis maiestatis, neq; ulla similitudine exprimi potest: sicuti sacræ literæ aperte docent Act. 17. & alibi. Angeli uero, qui & ipsi spiritus sunt, qua similitudine repræsentabuntur? Sancti uero cum in his terris uiuerent animam & corpus habebãt, hoc autem consumptum est, illa uero in cœlis manet: quomodo ergo imagine exprimentur? Corporis ipsorum figura nihil nos ad salutem iuuat, itaque etsi imagines corporum ipsorum haberemus, nihil tamen illæ fidelium salutem promouerent. Quod uero in sanctis est summum & præstantißimum, dei gratia, fides, & alia dona, hæc coloribus, aut ligno atque lapidibus non possunt repræsentari. In summa, deus, angeli, sancti in cœlis maiores sunt, & ampliori gloria præditi, quàm ut imaginibus repræsentari possint aut debeant, huiusmodi præsertim imaginibus quas sancti prophetæ adeò irriderẽt, uelut Esaias 44 & Baruch 6 cap. Sin autem dicant imagines tantum docendi & admonendi causa faciendas & seruandas esse, aliud à deo & longe præstantius nobis datum esse nouimus, per quod hæc adipiscamur, spiritũ & uerbum eius. Præterea cum Apostolorum ætate aliquot seculis ecclesia nullis imaginibus usa sit, & uetusti scriptores uehementißime eas damnarint & reiecerint, nos certe ipsas non possumus bonas appellare, quandoquidem adeò (ut diximus) à deo & sanctis eius damnatæ et reiectæ sunt.

Deus et sancti non possunt imaginibus repræsentari.

De reliquijs in proxima Quæstione respondimus, quare ea responsione contenti nihil nunc addemus.

QVAESTIO XXXIII.

An placeat illis aquæ, herbarum & aliarum rerum consecratio, quæ in Christiana ecclesia usitata est?

RESPONSIO.

Consecratio aquæ, ignis, &c.

VEtus & Apostolica ecclesia penitus ignorauit huiusmodi consecrationes aut benedictiones aquæ, ignis, salis, butiri, olei, palmarum, herbarum, placentarum & similium rerum. Hæc enim noua sunt hominum inuenta & abusus, itaq; nobis nullo modo placere possunt. Credimus enim à Christo benedictas esse omnes creaturas quæ fidelium usui necessariæ sunt, ita ut si in fide, additis precibus, & moderate illis utantur, nihil illis noceant, sed puræ ac bonæ sint. Cui rei testimonium perhibet Paulus 1. Tim. 4. & Tit. 1. cap. Sed his rebus, quas cõmemorauimus, confidere, & credere consecratas huiusmodi res posse nos à malo tueri, superstitiosum est, ac deo improbatur, & à multis fidelibus dei ministris reprehenditur.

VIII. DE PVRGATORIO IGNE, & precibus pro defunctis.

QVAESTIO XXXIIII.

An credant in igne purgatorio torqueri animas defunctorum, quæ nondum absoluta pœnitentia ex hac uita migrarunt, neq; satis purificatæ sunt?

RESPONSIO.

Homines moriuntur uel in fide uel in fide dulitate.

QVicunq; ex hac uita migrant uel in uera fide, uel in incredulitate moriuntur: de utrisque dominus sententiam tulit his uerbis, Non enim misit deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum: sed ut seruetur mundus per eum Qui credit in eum, non iudicatur: qui uero non credit, iam iudicatus est: quia non credidit in nomen unige-

unigeniti filij dei. Sed aduersarij nostri obijciunt, posse fidelem mori qui fidelis quidem sit, non tamen plene purificatus, propterea quod nondum pœnitentiam absoluerit: talem autem non saluari, quandoquidem adhuc impurus sit, neque damnari, propterea quod sit fidelis. Itaque necessario sequi locum aliquem intermedium à deo paratum esse, in quo tales plenè purgentur, & pœnis suis id quod pœnitentiæ deest rependant. Intermedium hunc locum Purgatorium ignem nominant, propterea quod animæ in ipso purgentur. Verum in hac doctrina, quæ nullam authoritatem aut testimonium habet sacrarum literarum, multa desideramus. Primum nanq; Christus docet, fideles in ipso totos puros esse, etiamsi propter residuam infirmitatem aliqua in ipsis sit imperfectio quæ lotione opus habet. Aperte nanque ait, Qui lotus est, non opus habet nisi ut pedes lauet: nam totus purus est, Ioan. 13. & 15. Et idem docet D. Paulus ad Romanos 7. & 8. cap. in quibus ostendit multa adhuc deesse fidelibus, quæ tamen ipsis non imputentur propter fidem in Christū. Eademq; de causa in articulis fidei confitemur, nos credere remissionem peccatorum, resurrectionem carnis, & uitam æternam. Sicuti autem credimus, ita nobis fit: credimus peccata nobis condonata esse, ideoq; condonata & remissa sunt. Præterea cum peccatum nominamus non tantum culpam, uerumetiam pœnam intelligimus. Cum igitur peccata, propter quæ sola supplicio afficimur, nobis remissa & condonata sint, quomodo fideles adhuc impuri sunt? Aut si peccatum abolitum est, quare eos pati oporteret, perinde ac si peccata non remissa essent? Si ueram fidem in Christum habuerunt, in æternum uiuent: si non recte crediderunt, in æternum damnati sunt. Atq; hoc fides nostra docet, quæ confirmatur Esa. 53. cap. & Ioan. 3. 5. 6. & 8. cap. &c.

Fideles plenè perfecti in fide moriuntur.

Non puri reputamur propter nostra merita.

Deinde hoc quoque in ipsorum doctrina desideramus, quod perfectæ pœnitentiæ, perfectam puritatem ascribunt: cum tamen illa duntaxat habeatur per mortem, sanguinem & meritum Christi. Quod si puritas ex nostris meritis habetur, Christus frustra mortuus est. Non autem frustra mortuus est, ideoq; puritas ex gratia dei in morte Christi per fidem habetur, Actorum 15. Galat 1. & 1. Ioan. 1. Quàm uero infirmum est, quod aiunt animas pœnis suis in igne purgatorio rependere quod eorum perfectæ pœnitentiæ deest? Supra enim cum de fide & operibus seu meritis scriberemus, ostendimus ea quæ facimus & patimur, non esse condigna gaudio, quo nos in alia uita per Christum donamur.

Solus Christi sanguis nos à labe peccatorũ purgat.

Tertiò id etiam in doctrina Purgatorij ignis desideramus, quod puritatẽ non ascribunt duntaxat sanguini Christi, extra quem tamen nihil est quod nos purgare possit: sed absque uerbo dei ignem nescio quem excogitant, cui purgationem attribuere audent. Hoc quoque reprehendimus, quod fideles cum ex hac uita migrarint, in futura uita torqueri aiunt, quibus uerissima Christi uerba opponimus, dicentis, Amen amen dico uobis, qui sermonem meũ audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium non ueniet (quod si uenerit in Purgatorium ignem, tum in iudicium, pœnam & condemnationem ueniret) sed transiuit à morte in uitam, Ioan. 5. Cum ergo fideles à morte in uitam transierint, respondemus quæstioni propositæ & dicimus, fideles per fidem à domino plenè purgatos nullas pœnas pati in Purgatorio igne.

QVAESTIO XXXV.

An his

An his qui in Purgatorio igne torquentur prosint preces, eleemosynæ et sacrificia quæ in ecclesia Christiana pro ipsis fiunt?

RESPONSIO.

De precibus & operibus quæ pro mortuis fiunt.

QVandoquidem in eo aduersarios errare ostendimus, quod in hac Quæstione præcipuum est, nempe in Purgatorio igne, qui nulla testimonia habet sacrarum literarum, nõ possunt animæ fidelium in illo igne supplicium pati qui nusquam est: ideoq; non opus est ut post mortem pro ipsis oremus, aut alia in eorum gratiam faciamus: nisi ut defunctorum honorifica mentio fiat in ecclesia, & deo gratiæ agantur, quod ipsos in uera fide ex hac uita in regnum suum euocauerit: & ut ipsum oremus, ut nobis fidem augeat, & nos quoque suo tempore ad maiores nostros in æternam felicitatem recipiat. Præterea docemus, si quid uelimus facere in eorum gratiam, quod ipsis utile & deo acceptum sit, debere nos uxoribus ipsorum, & liberis atque propinquis beneficia aliqua conferre, & ipsorum honorem ac famam semper tueri.

Non ignoro autem multos honestos homines grauiter ob hanc causam nobis iratos, propterea quod indecens, imò horribile & à Christiano homine alienum esse arbitrantur, quod non tantum nihil faciamus ad iuuandos maiores nostros, uerumetiam contra adeò uetustam (quod nos quoq; non ignoramus) & uulgo ubique ferè receptam consuetudinem loquamur & scribamus. Quamobrem hos hortamur ut nostras rationes quæ nos mouent, audiant & expendant. Neque enim hæc ideo facimus, neque ideo pro ipsis non oramus, & usitatas res in gratiam ipsorum non fa-

cimus quod non diligamus maiores nostros, aut quod nullã ipsorum rationem habeamus, sed ideo quod Christiana fides nos docet & confirmat, imò urget, ut nullo modo possimus rectum agnoscere ut pro ipsis oretur, aut hæc propter eorum salutem fiant, imò scimus ipsos maiores nostros his rebus non habere opus, neque hæc à nobis exigere Etenim firmiter & certò credimus & scimus, non alia ratione in hac aut futura uita peccata expurgari, nisi duntaxat per gratiam dei in sanguine Iesu Christi per uerã fidem. Indubitatum uero est Purgatorium ignem, qui nititur meritis nostris & supplicijs quæ perferimus, non esse gratiam dei, neque sanguinem Christi in fide. Certum etiam est maiores nostros in eadem nobiscum fidei confessione mortuos esse, qua scilicet confitemur nos credere remissionem peccatorum, resurrectionẽ carnis, & uitam æternam. Quamobrem cum & communis omniũ fides, & præterea etiam scripturæ aperte testentur, omnes qui sese uera fide committunt gratiæ & misericordiæ dei, & in Christo moriuntur, à Christo conseruari ut non ueniant in iudicium, aut ignem & pœnam atque supplicium aliquod, sed recipi in æternam felicitatem: quomodo quæso pro illis orare possumus, & alia huiusmodi facere ad ipsorũ salutẽ, quibus certe egerent si pœnam atq; supplicii tolerarẽt. Verum pœnam non luunt, ideoq; non est opus ut quicquam fiat quo ipsi pœna eximantur. Si nanq; postquã in uera fide ex hac uita excesserunt, nihilominus ignem, pœnam & tormenta paterentur, tum inania essent cuncta quæ de gratuita dei promissione, de liberatione per Christum, de certitudine & ueritate fidei, in sacris literis leguntur, & ex illis prædicantur: imò fides ipsa falsa esset. Verũ fides uera & certa est. Ideoq; sicuti maiores nostri uere crediderunt remissionem

peccato-

peccatorum & uitam æternam, ita etiam hæc uere adepti sunt & pœnas sentiũt in altera uita. Quare cũ propter dei gloriam, & ad laudem atque confeßionem noßtræ fidei, tum etiam propter honorem maiorum noßtrorum, de quorum salute non dubitamus, nihil facimus poßt mortem ipsorum ad animas eorum liberandas. Imò arbitramur huiusmodi actionibus & precibus noßtrorum salutem & ipsam fidem in dubium uocari, quasi scilicet illi crediderint quidem sese remissionem peccatorum & uitam æternam adepturos, non tamen hæc adepti sint. Hoc autem absurdum est cogitare, nedum dicere: perinde ac si deus & fides nos fallere & decipere queant, quod fieri non potest.

Res admodum uiles sunt, per quas animas liberare uolunt.

Præterea hoc loco breuitatis causa commemorare nolo, quàm uiles istæ res sint, neque uerbo dei confirmentur, quas nos ad iuuandos maiores noßtros facere iubent: ita ut si pœnas aliquas ingentes Purgatorij ignis sentirent, quemadmodum isti docent, nullum tamen aut exiguum solatium hæ res ipsis conferre possent: præsertim cum plerunque eorum liberatio precio redimatur ab impuris & flagitioßis hominibus. Quare longe tutius est maiorum salutem non ab huiusmodi hominibus nullius precij, aut ab hominũ inuentis pendere, sed potius niti firmißimo fundamento, gratia nempe et misericordia dei, in sanguine & paßione Christi per ueram fidem. Hac etiã ratione animi noßtri certi fiunt de salute maiorum noßtrorum, quàm cum quotannis eaßdem ceremonias ipsorum causas peragi cernimus & audimus, & tamen incerti sumus quando efficaces fuerint & ipsos liberarint.

Nihil confidendum esse Purgatorij ignis causa.

Interea quoque discimus non esse confidendum propter ignem purgatorium, uel hominum merita, aut opera quæ alij in noßtram gratiam nobis mortuis faciunt. Etenim quinque illæ ßultæ uirgines hac mora perierunt, quod oleum ab alijs petebant & id uolebant emere. Scriptura nanque bo-

Galat. 6.

num nos operari iubet, dum tempus habemus, neque morari. Ideóque seriò docemus, ut omnes in hac uita tempestiue dum integra ratione præditi sunt, deo seruiant, & seipsos itineri accingant, neque confidant aliorum operibus quæ illi post mortem in ipsorum gratiam faciant, quandoquidem post mortem ista non iuuant. Quod si alicui mors immineat, illum Euangelij uerbis ad Christum remittimus, ut oret pro peccatorum remissione, confidat gratiæ, & plenus consolatione, speret uitam æternam. In ueteri quoque Apostolica ecclesia non ulterius progressi sunt, sed eadem docuerũt, sicuti Paulus de his qui mortui sunt, scribit 1. Thess. 4. cap. Eandem doctrinam nos quoque dei beneficio retinebimus.

QVAESTIO XXXVI.

Ioan. 11. Act. 20. Act. 9. Quid sentiant de historia Lazari & sororum eius Marthæ & Mariæ, quæ Christum pro fratre orarunt? Item de Eutycho quem Paulus à mortuis resuscitauit, an hoc absque precibus factum sit? An non etiam D. Petrus pro Tabitha mortua orarit, & eam hac ratione in uitam reuocauerit?

RESPONSIO.

Quomodo & quare Apostoli apud defunctos orarit. MAriam, Martham, Petrum & Paulum, deum inuocasse arbitror, non autem ita ut aduersarij docent pro defunctis oraſſe, ut scilicet dominus propitius sit animabus ipsorum & eas ab igne purgatorio liberet, et in æternam felicitatem transferat: sed orarunt ut à mortuis resuscitarentur ad gloriam dei. Num uero arbitrantur Lazarum, Eutychum & Tabitham fuisse in igne Purgatorio, & illic post mortem suam pœnas & supplicium pertulisse? Non arbitror ipsos hoc audere asserere. Quare igitur aliena exempla afferunt, quæ nihil seruiunt ipsorum instituto? Tantum

ad

ad fascinandos oculos simpliciorum. Sin uero dicant ipsos in Purgatorio igne fuisse, qua ratione id probare poterunt? Nonnulli equidē dicunt, Si Lazarus apud inferos fuisset, nō potuisset liberari, quoniam apud inferos nulla est redemptio: si autem in cœlo fuit, iniuria illi facta est, quod denuo est translatus in hanc miseriam. Itaque, aiunt, necesse est locum aliquem intermedium esse. Quibus respondeo, Primum ipsos non probasse hac ratione intermedium locum esse Purgatorium ignem, et non potius alium locum soli deo notum. Deinde dico, totam ipsorū argumentationem falsam & inanem esse. Lazarus fuit (ut scriptura illic docet) amicus Christi, quare anima eius post mortem in sinum Abrahæ recepta est, sicuti etiam alterius Lazari, cuius mentio fit Lucæ 16. cap. Neque illi iniuria facta est, propterea quod anima eius denuo corpori coniuncta est propter gloriam dei. Omnes enim creaturæ iure deo conditori suo seruiunt. Dominus ipso Latroni in cruce dixit, Hodie mecum eris in Paradiso, nihilominus tamen ipse tertia demum die à mortuis resurrexit, neq; illi iniuria facta est, &c. Equidem omnino iudico, si hi qui spirituales nominantur cogerentur tantas opes in mortuorum gratiam Laicis cōferre, quantas ipsi hoc nomine accipiunt, Purgatorium ignem non adeo uehementer exarsurū, & preces saltem minori precio uenales fore. Quod si doctrina Purgatorij adeo necessaria est, quare quæso Orientalis seu Græca ecclesia hanc nunquā recepit et agnouit usq; ad tempora Eugenij 4. quibus breui Constantinopolis à Turcis capta est?

Vbinā Lazarus fuerit eo quatriduo quo mortuus fuit.

QVAESTIO XXXVII.

Quid sentiant de hoc loco libri Machabæorum, Sancta ergo & salubris est cogitatio, pro defunctis orare, ut à peccatis soluantur?

RESPONSIO.

De secũdo lib. Machabæorum.

Diuus Hieron. & Cyprianus atque Gelasius, ad hunc locum uobis respondebunt: nempe, secundum Machabæorum librum legi quidem in ecclesijs, non tamen parem esse reliquis Canonicis Bibliorum libris, ita ut ex ipso, sicuti ex reliquis testimonia desumi & proferri possint in controuersis fidei dogmatibus. Quamobrem cum in omnibus libris Veteris & Noui Testamenti, ne unico quidẽ uerbo mentio fiat sacrificiorum pro mortuis, hoc testimonium suo loco relinquimus, quod scilicet nihil probare possit. Vt iam nihil de eo dicam, quod non omnia etiam sanctorum hominum facta, bona, deo accepta, & nobis imitanda sunt. Gedeon bono animo Ephod in Aphra fecit, quod tamen melius fuerat ipsum non fecisse. In Machabæorum historia 14. cap. laudatur Raazias, qui seipsum interfecit, ne in manus hostium incideret: attamen hoc factum, ut omnes scripturæ docent, & præcipui ex Patribus iudicant, neque laudem meretur, neque rectum fuit. Cunctis enim expectandũ est, quando à deo ex hac uita euocentur. Plura de hoc libro in mediũ proferre possem, sed ista hoc tempore sufficiant.

IX. DE SACRAMENTIS.

QVAESTIO XXXVIII.

Quot sint sacramenta? Item, An efficacia signa sint diuinæ gratiæ, per quæ gratiam dei impetremus?

RESPONSIO.

Quot nam sint sacramenta.

ROmana ecclesia septem sacramenta numerat, ex quibus nos duo pro ueris & genuinis sacramentis Christi & ecclesiæ eius agnoscimus, Baptismum & Cœnam domini, ac

ni, ac illis ea tribuimus quæ ipsis in sacris literis attribuuntur. Duo uero hæc, Confirmationem & Extremam unctionem, quemadmodum nunc in usu sunt in Romana ecclesia, non agnoscimus pro sacramentis Christi, neque arbitramur hos ritus necessarios & ex uerbo dei desumptos esse. Tria uero reliqua Pœnitentiam, Impositionem manuum, seu Ordinationem ministrorum ecclesiæ, & Matrimonium, etsi nõ numeramus inter Christi & ecclesiæ sacramenta, sicuti Baptismum & Cœnam domini, nihilominus tamen agnoscimus utilia & necessaria dei instituta esse, & salutaria fidelibus, si illis utantur eo modo et in hunc finẽ in quẽ instituta sunt, & quemadmodum sancti, qui ante nos fuerunt, his usi sunt. Neque enim omnia quæ in his tribus Romana ecclesia agit, bona & iusta arbitramur, sed illa tantũ quæ uerbo dei conueniunt. Quare autem tantummodo Baptismum et Cœnam domini pro ueris sacramentis agnoscamus, alibi prolixe exposui, et ostendi, solius dei non hominum esse sacramenta instituere, ut uera signa, obsignationes diuinæ ueritatis et gratiæ: item quomodo in sacramentis sint promißiones dei, externa signa & monumenta beneficiorum dei, & sponsio, & cætera.

De efficacia & uirtute sacramẽtorum.

De efficacia sacramentorum respondemus, omnia quæ à deo ordinata et instituta sunt, uim & efficaciam habere, ut id efficiant cuius gratia à deo instituta sunt: eodem modo sacramenta suam efficaciam habent: quibus tamẽ nihil aliud attribuere debemus, quàm ea quæ illis in sacris literis tribuuntur, & quorum gratia à deo instituta sunt. Quod si sacramenta inefficacia experimur; id non est illis attribuendum, quasi institutum dei sit inefficax, sed hominibus qui illis non recte & absque fide utuntur. Verbum dei semper uerum est, & ad instituendos homines diuinitus nobis datum: quod autem non omnes hoc pro uero agnoscunt & se insti-

tui patiuntur, ipsi, imò infidelitas eorum in culpa est. Simō magus baptizatus est, sed nō purgatus, non quod Baptismus ineffica x sit, et non sit uerū signū mundationis, sed ideo quia ipse non credidit. Eodemq; modo Iudas in Cœna domini non accepit corpus Christi ad uitam, non quod sacramento non repræsentetur & offeratur nobis cibus uitæ, sed ideo quod absq; fide accepit.

An sacramenta sumpta nobis gratiam impetrent.

Præterea sacramentorum usus non ideo impetrat nobis gratiam dei, quia opus nostrū est, sed quia ex gratia, in Christo per fidem deo reconciliati & iam in gratia eius sumus, sacramenta accipimus, & nos gratos erga deum & obedientes illi ostendimus. Interea quoq; agnoscimus & experimur gratiam & dona dei subinde augeri & crescere in fidelibus. D. Paulus ad Rom. 4. cap. quærit an Abrahamus iustificatus sit propter circunciſionem, & an ante uel post eir cunciſionem hoc factum sit: et respondet, non in circunciſione sed antequam circunciſus esset: circunciſionem tamē non inutilem & uacuum signum fuisse, nam ipsum accepisse circunciſionem in obsignationem iustitiæ fidei: nempe ad confirmationem & testimonium iustitiam esse ex fide, seu nos iustificari per fidem. Similiter nos quoque de nostris sacramentis dicere possumus, quandoquidem Baptismus in circunciſionis locum successit, & ueteres eundem nobiscū spiritualem cibum comederunt, sicut Paulus testatur Coloss. 2. & 1. Cor. 10. cap.

X. DE PAEDOBAPTISMO ET Anabaptismo.

QVAESTIO XXXIX.

An

An credant infantes baptizandos esse? An primus Baptismus satis sit, aut homines rebaptizari oporteat postquam usum rationis adepti fuerint?

RESPONSIO.

De Anabaptistis & eorum discrimine.

HAc quæstione experiri uolunt quid de Anabaptistis sentiamus: quare respondemus, uos qui Pontificium regnum instauratis & defenditis & Euangelij prædicationem impeditis & prohibetis, grauiter peccare, & in uobis potissimam culpam esse interitus eorum qui primum ab Anabaptistis seducuntur, & deinde à uobis misere in suo errore non edocti & instructi occiduntur. Etenim si liberam permitteretis puram Euãgelij prædicationem, tum Anabaptistæ & aliæ etiam hæreses non ita inualescere & locum habere possent ad decipiendos simplices homines, qui ea quæ ipsis prædicantur, statim opinantur uerum Euangelium esse. Neque tamen ideo Anabaptistas tuemur, quibus multas ob causas nõ assentimur, quas copiose in nostris libris exposuimus. Interea tamẽ obiter monemus, diligẽter prudẽtibus hominibus inter Anabaptistas discernendum esse, neq; de omnibus eodem modo iudicandum. Nonnulli enim eorum simplices & non maligni homines sunt, qui nihil ferè de Euangelio audierunt, aut si audierunt offensi sunt & defecerunt, ideo quod exiguam uitæ emendationem uident apud eos qui Euangelici nominantur: ac deinde ab astutis Anabaptistarum doctoribus persuasi sunt, se peccare si infantes baptizari curent, si iusiurandum dent, si accedant ecclesias, in quibus, ut ipsi aiunt, adhuc peccatores sint. Item concionatorem, qui stipendium aliquod sui ministerij habeat, neq; omnia ipse faciat quæ alios docet, hunc non posse ueritatem docere: ac nullam ueram ecclesiam esse, in qua non sit excom-

municatio, & prophetãdi ordo à Paulo traditus 1. Cor. 14. Horũ defectio et doctrina nõ est approbanda, ipsi tamẽ uerbo dei patienter instituendi & in uiam reuocandi sunt, sicut Paulus docet ad Rom. 14. cap. Quod si contentiosi & pertinaces fuerint, non ideo confestim extirpandi sunt, sed meliora sperare oportet: interim curandum est, ne quem intricatis suis opinionibus inficiant, & expectanda est eorũ conuersio: quod si non conuertantur, semper tamen moderate, & pie ac religiose cum illis agendum est, habita causarum & personarum ratione in ipsis castigandis & puniendis. Alij uero Anabaptistarum non sunt pio & simplici animo præditi, sed maligni, turbulenti, inuidi, & auari, qui per omnem suam ætatem inquieti & pertinaces fuerunt, & semper contentiones amarunt, & nunc ad Anabaptistas defecerunt, inter quos odiose uociferantur, turbas excitant contra magistratus & concionatores, contra iusiurandum, contra iudicia & pœnas, contra debita signatis tabulis confirmata annuorum reditruum & decimarum, et contra alia cõplura: præterea inter coniuges dissidia & offensas excitãt: attamen hypocrisi & splendida quadam garrulitate sese occultant & insinuant, ut longe alij hominibus uideantur quã reuera sint. Nam quid faciant si liberam potestatem nanscisscantur, in Monasteriensibus Anabaptistis experti sumus. His autem adeo malignis hominibus, si uenia & licentia datur, neque serio contra eos agitur, tum respublicæ funditus euertuntur, quod ipsa experientia docet. Eadem ratio est principum huius factionis, qui passim simplicioribus Anabaptismum commendant, causam hanc urgent, et turbarum atque inobedientiæ authores sunt hominibus. Etenim illi eodem modo instituti & à ueritate conuicti, nihilominus errorem non deserunt, neque ullam institutionem admittunt, & ueniam ipsis à magistratu concessam, spernunt, promissa & iurata

iurata uiolant, nulla ratione honestatis habita, & non cessant ecclesias temerarie & seditiose peruertere & turbare. Cuncti autem norunt quid diuinæ et humanæ leges de talibus statuant: quamobrem tales neque excusare uolumus, neq; ullam communionem cum huiusmodi Anabaptistis & eorum doctoribus habemus, aut habituri sumus. Pædobaptismus fundatus est in scripturis. Quia enim omnes fatemur Baptismũ signum esse fœderis & populi dei: & negari non potest, infantes fidelium esse in fœdere dei, & annumerari populo eius: quare illis Baptismus signum fœderis negaretur? Præterea D. Petrus in Act. docet, hos baptizandos esse qui spiritum dei habent: si uero infantes fidelium spiritum dei non haberent, non essent dei, neq; sancti essent, neq; ipsorum esset regnum cœlorum. Sunt autem dei Rom. 8. & sancti sunt 1. Cor. 7. & ipsorum est regnum cœlorum Mar. 10. Quamobrem baptizandi sunt.

Pædobaptismus.

Act. 10.

Quod si semel in infantia in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti baptizati sumus, non opus est ut denuo rebaptizemur, postquam rationis usum adepti fuerimus. Nã etiamsi rebaptizaremur, tamẽ duntaxat aqua, sicut ante in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti baptizaremur: nihilq; plus inde adipisceremur, nisi quod posteriore Baptismo priorem contumeliã afficeremus, ac cum graui peccato, tum etiam pœnis & supplicijs quæ legibus sancita sunt, nos ipsos subijceremus.

Anabaptismus.

DE SACRAMENTO CORPORIS & sanguini Christi, et communione sub utraq; specie. XI.

QVAESTIO XL.

An credant uerum uiuumq; Christi corpus & uerũ eius san

guinem substantialiter esse in sacramento, ita ut peracta cõ secratione, panis transubstantietur in uerum corpus Christi, sic ut non aplius panis, sed uerum & substantiale corpus Christi sit?

RESPONSIO.

Diuersę sentęę de prę sentia corporis Christi in cœna.

NOnnulli ex recentioribus doctoribus Romanæ ecclesiæ aperte & libere fatentur, ante Concilium Lateranense, quod Romæ celebratum est Innocentio 3. Pont. anno domini 1215. (in quo primum sancita & decreto confirmata est Transubstantiatio) diuersas fuisse opiniones in ecclesia de præsentia & substantia corporis Christi in sacramento Ideoq; si quisquã ante illud Concilium credidisset substãtiam panis non mutari in uerã substantiam corporis Christi, à nemine inter hæreticos reputatus fuisset. Verum in isto Concilio decretũ est, ab omnibus, qui crimen hæreseos euitare uolunt, credendũ esse, uerum Christi corpus substantialiter adesse sub speciebus panis. Mirandũ uero est quã ob causam istud Concilium fideles adeo horribiliter intolerando crimine hæreseos damnare uoluerit, quod tamen hactenus à 1200. annis non fuerat factum. Quo loco quiuis prudens cogitet, an Concilium potestatẽ habuerit, ut post annos 1200. hæc demũ statueret. Etenim si isti non fuerunt hæretici, qui à 1200. annis uixerunt, neq; crediderunt substantiam panis mutari in substantiam corporis Christi: quare nunc hæretici appellandi essent, qui ea non credunt quæ ecclesia à 1200. annis nunquam credidit? Sin uero ea quæ post 1200. annos credenda Concilium præcepit, uera sunt & necessaria quæ credantur, tum omnes qui ante 1200. uixerunt & hæc non crediderunt, non recte crediderunt: si autem recta fuit eorum fides, ut certe fuit, non necessarium est ut ea credamus quæ postea excogitata & inuenta sunt.

Vera uetustę doctrinæ de sacramento contra Transubstantiationẽ.

Atq; equidem ueteres de sancto hoc sacramento ita crediderunt

diderunt et docuerūt. duo scilicet præcipue hic considerāda esse: signa, panē et uinū: atq; rē signatā, corpus & sanguinē Christi. Quod si uerum est quod Romana ecclesia docet, nō amplius adesse panis substantiam, sed tantum corpus Christi, tum certe sacramentū non amplius sacramentum est, sed tantum res signata. An non enim hæc ipsorum definitio est, Sacramentum est sacræ rei signum? Si igitur panis non est panis, neq; suam substantiam seruat, sed loco eius substantia corporis Christi adest, quid, quæso, in sacramento frangunt? Christi ne corpus, an aliquid aliud? Si panis non adest, quod ergo est externum signum? Non utique panis, negant enim in sacramento panem esse. Ergo si Christi duntaxat corpus adest, tum illud ipsum frangitur: quod tamen fieri nequit: neque amplius sacramentum est, nō enim signum est rei sacræ sed tantum ipsa res sacra. Itaque non opus fuerat dominum panem & uinum in ultima sua cœna adhibere. Si autem, ut solent, dixerint speciem aut accidentia panis, albedinem siue colorem, rotunditatem & saporem, esse signa et frangi, quæratur ab illis quibusnam rebus albedo, rotunditas & sapor inhæreant? Non possunt dicere hæc accidentia esse corporis Christi aut illi inhærere, quare necesse est in pane ea esse. Quamobrem sequitur substantiam panis non mutari in sacramento, sed manere, et doctrinam ipsorum nullum uerum fundamentum habere. Quinetiam ista nomina, substantia, accidens, species, accidentia sine subiecto, satis declarant hanc doctrinam in Sophistarum officina fabricatam esse, quam apostoli penitus ignorarunt. Cum uero non possint ulterius progredi, aiunt, hæc omnia per omnipotentiam dei miraculose fieri: uerum id nondum probarunt: & nulla causa adeo falsa est, quæ non hac ratione defendi possit. In Euangelio & Apostolorum scriptis sæpenumero & quàm apertissime sacramentum hoc panis & uinum nominatur, haud

dubie signorum respectu, ut appareret substantiam panis et uini remanere in sacramento: id quod nos quoque, cum ea sumimus, sentimus, quamuis longe aliud Papistæ nobis persuadere conentur.

Fideles in Cœna non tãtum panẽ accipiunt.

Non autem hinc sequitur nos in sacramento hoc nihil aliud agnoscere aut sumere, nisi duntaxat panem et uinũ, quẽ admodum in quouis conuiuio quo corpus pascitur. Quoniam dominus cum in cœna panem & poculum discipulis porrigeret, & iuberet eos edere et bibere, addidit, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Obseruandum autem est hanc esse usitatam consuetudinem, ut signis sacramentalibus tribuantur earum rerum nomina, quarum signa sunt: uelut in hoc sacramento panis & uinum signa sunt corporis & sanguinis Christi, ideoq; Christus ea corpus & sanguinem suum nominat. Eadem ratio est Baptismi, Circuncisionis, Paschatis, & Sacrificiorum. Ideo autem sic nominantur, ut non inhæreamus signis, pani & uino, sed ut per res aspectabiles admoniti rerum inaspectabilium, oculos cordis nostri in cœlum attollamus ad res signatas, nempe corpus Christi pro nobis traditum, & sanguinem nostra causa effusum, & ut studeamus has res sumere.

Quomodo uerũ Christi corpus sumatur.

Quomodo autem corpus & sanguinem Christi sumimus? Spiritualiter per fidem, ita ut exterius ore corporeo edamus & bibamus domini panem & uinum. Sacra signa, interius uero ore animæ, hoc est per fidem, accipiamus corpus & sanguinem Christi. Etenim quemadmodum cibos ore percipimus ad uitam sustentandam: ita etiam per fidem in Christum, corpus & sanguis eius, quæ in cruce obtulit, fiunt nobis cibus ad uitam æternam. Christi enim corpus traditum pro nobis, & sanguis effusus, sunt nostra uita, seu per illa nobis uita parta est: hæc autem per fidem recipimus, ita ut Christus in nobis, & nos in Christo uiuamus. Quamobrem

rem in ſacroſancta Chriſti domini cœna non tantum panem edimus & uinum bibimus, ſed præterea etiam corpus & ſanguinem ipſius: uerum, quemadmodum explicauimus, ſpiritualiter per fidem, ita ut Chriſti præſentia in cœna ſpiritualis ſit, quemadmodum & manducatio. Chriſti nanque corpus, quod eſt & manet in cœlis ad extremum uſque diem, uerum eſt corpus, quod in loco eſt, nempe in cœlo ſupra nos, neque poteſt corporea aut carnali ratione in his terris in multis locis eſſe, & manducari. Vnde etiam in Cœna ſemper dixerunt, Surſum corda. Et ideo etiam ueteres ſcriptores Chriſti doctrina de edendo & bibendo corpore & ſanguine ſuo ſpiritualiter per fidem, quia caro nihil proſit, Ioannis 6. uſi ſunt in explicanda cœna domini: & uerba Chriſti in cœna, Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus, interpretati ſunt, hoc ſignificat, aut ſignum eſt & ſacramentum atque monumentum corporis & ſanguinis. Etenim ſtatim poſt ſuperiora uerba dominus ipſe addit, Hoc facite in recordationem mei. Et Paulus ait, Mortem domini annuntiate, uſque quo uenerit, nempe ad iudicandum. Quamobrē ad proximam quæſtionem ita reſpondemus: corpus Chriſti uiuum & uerum eius ſanguinem, ſubſtantialiter in cœlo eſſe, in cœna autem, ſiue in pane & uino (quæ duo ſuam ſubſtantiam retinent) hæc ſacramentaliter & ſpiritualiter adeſſe, non ſubſtantialiter aut corporaliter. Panis enim & uinum uera ſacramenta ſunt corporis & ſanguinis Chriſti, quæ duo ſemel in cruce oblata, nunc in cœlo ſunt, et ſpiritualiter per fidēm ad uitam æternam à nobis ſumuntur.

Quomodo quiſq; ſe gerat in controuerſia de hoc ſacramento.

Nonnulli uero non contenti ſimplici hac expoſitione, obiiciunt, magnam noſtra ætate diſſenſionem eſſe in cauſa ſacramenti, alios enim docere Chriſtum manducari ſpiritualiter, alios carnaliter hoc uelle fieri, &c. Hos itaque rogamus, ut diligenter eos obſeruent, qui pertinaciter conten-

dunt, panem ipsum, aut sub pane, uel sub speciebus panis esse ipsum Christi corpus substantialiter, & id mãducari corporaliter: etenim isti postquã cum sibijpsis tum alijs in hac causa multum molesti fuerunt, tandem eò deueniunt, ut confiteantur hæc non ita crasse & carnaliter fieri, totum namque negotium cœleste, sacramentale, & spirituale esse. Verum si hæc ita sunt, quare non huic sententiæ acquiescunt, & cessant omnibus molesti esse, dum persuadere uolunt negotium hoc carnaliter spirituale esse, neq; amplius superesse substantiam panis, & c. quæ ita tradunt, ut neq; ipsi se, neque alij ipsos intelligant. Retineatur uetus doctrina ecclesiæ Christi, quæ semper credidit Christũ Iesum uerũ humanum corpus habere, idq; in resurrectione glorificasse, ita tamẽ ut uerum corpus manserit (qualia etiam erunt nostra corpora in nouissimo die) & hoc corpore in cœlos ascendisse, illic manere, & inde rediturum esse ad iudicandũ uiuos & mortuos. Interea uero in sacra cœna spiritualiter adesse, & à fidelibus non carnaliter sed spiritualiter sumi ad uitam æternam. Hæc uetus, simplex et Apostolica ueritas est, cui acquiescere potes, & simul scire quidnam credas. Quod si ulterius pergas scrutari, contendere & rixari, tum ferendum est ut per omnem ætatem propria tua culpa miser sis, & c.

QVAESTIO XLI.

An credant Christum in sacramento uere præsentem & adorandum esse, cum illud à sacerdote eleuatur, porrigitur, ad ægrotos defertur, uel alioqui circunfertur aut ostenditur?

RESPONSIO.

De

De præsentia Christi superiori quæstione respondimus: quod si alicui responsio illa non satisfacit, audiat Diui Augustini responsionem, qui Tract. in Ioannem 50. super uerba domini, Pauperes enim semper habebitis uobiscum, me autem non semper habebitis, ita scribit: Secundum id quod de uirgine natus est, secundum id quod à Iudæis comprehensus est, quod ligno confixus, quod in resurrectione manifestatus, non semper habebitis me uobiscum. Quoniam conuersatus est secundum corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis suis, & deinde ascendit in cœlum, & non est hic. Ibi enim sedet ad dextram Patris, & hic est: non enim recessit præsentia maiestatis. Secundum præsentiam maiestatis semper habemus Christum, secundum præsentiam carnis ipsum non habemus. Habuit enim illum ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus: modo fide tenet, oculis non uidet. Atque hæc est Diui Augustini doctrina. Præsentia Christi.

De adoratione Christi credimus, ipsum adorandum ubi cũq; corpore suo ipse præsens adest. Nam in terris Apostoli & reliqui fideles, ipsum adorarunt, & postquam in cœlos ascendit, adorarunt ipsum in cœlis, Luc. uigesimo quarto capite Quoniam uero satis declarauimus Christũ non esse corporaliter in terris præsentem sub specie panis, sed in cœlis esse: in cœlis quoq; ad dexteram dei, & non in pane adorandus est. Præterea de adoratione sacramenti neque mãdatum dei, neque Apostolorum exemplum habemus. Nam dominus inquit, Accipite comedite: non, ostendite & adorate. Quin etiam Apostoli sacramentum hoc non seruarunt & incluserunt, non ad ægrotos detulerunt, aut in pompa gestarunt, non festum aliquod illi instituerunt: non magis quàm Baptismo, qui tamen & ipse sacrosanctum sacramentum est, quod datur in nomine sanctæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus De adoratione Christi in sacramento.

ſancti. Ac nos recte quidem diuinam Trinitatem adoramus, non tamen in Baptiſmo. Poſtremo ex hiſtorijs manifeſtum eſt, quod poſt 1200. annos & aliquanto ſerius, inuenta & ædificata ſunt ſacella ſacramento, & feſtum atque circungeſtatio ſacramenti in pompa, ab hominibus inuenta et inſtituta ſunt. Quibus tamen aperte repugnat uerbum dei, Daniſ 11. & Matth. 24. cap.

QVAESTIO XLII.

An ſacerdotes non conſecrati, quales multi ſunt inter Euangelicos, poteſtatem habeant faciendi ex pane et uino uerum corpus & ſanguinem Chriſti?

RESPONSIO.

An ſacerdotes ex pane & uino uerum corpus & ſanguinem Chriſti faciant.

Diuus Ioannes in Euangelio iubet ne homines plus ſibi attribuant quàm ſuperne è cœlo acceperint. Quare ergo Euangelici ſibi attribuerent poteſtatem faciẽdi ex pane & uino uerum corpus & ſanguinem Chriſti? Quandoquidem nuſquam hanc poteſtatem à deo acceperunt. Non ignoramus quid de hac re Romana eccleſia tradat, & quomodo hi qui per ipſam ab epiſcopis in ſacerdotes conſecrantur, detondantur, ungantur oleo, & ab Epiſcopo his uerbis conſecrentur: Conſecrare & ſanctificare digneris domine, manus iſtas per iſtam unctionem, et noſtram benedictionem, ut quæcunque benedixerint, benedicantur: & quæcunque conſecrauerint, conſecrentur, &c. Item, Accipe poteſtatem offerre ſacrificium deo, miſſaſq; celebrare tam pro uiuis, quàm pro defunctis, &c. Cupimus autem ab ipſis intelligere, quiſnam illis hanc poteſtatem & ordinationem dederit? An ne à Chriſto acceperunt? ubi ergo, & quibus uerbis illos hæc facere iuſſit? Num uero Apoſtoli hanc poteſtatem

teſtatem habuerunt, & eam alijs quoque dederunt, & eo dem modo miniſtros eccleſiæ inſtituerunt & cõſecrarunt? Res enim ipſa per ſe magna eſt, & poteſtas, de qua loquuntur, ingens & admiranda, imò diuina poteſtas eſt. Quare neceſſe eſt, ut oſtendant mandatum aut permiſſionẽ & uerbum dei, de hac ordinatione, cõſecratione & poteſtate. Certum autem eſt ipſos de his omnibus nullũ apertum uerbum & mandatum dei habere. Quare ipſorũ ordinationem recipere atq; probare nõ poſſumus. In Veteri quidem Teſtamento quædam de ſacerdotum unctione ſcribuntur, uerum cuncti nouerunt Leuiticum ſacerdotium cum omnibus ſuis cerimonijs abrogatum eſſe, ac graui execratione dei prohiberi ne illud denuo in Chriſtiana eccleſia inſtauretur. Apoſtolos quoq; ſcimus in miniſtrorum ordinatione tantummodo precibus & impoſitione manuum uſos eſſe. In Nouo Teſtamento ne unica quidem litera mentio fit huius Romanæ conſuetudinis, de conſecratione & ſacrificiorum oblatione in Miſſa. Neq; enim dominus dixit, Hanc uobis poteſtatem do, ut pronuntiatis ſuper panem & uinum uerbis conſecrationis, ex pane & uino fiat uerum corpus & ſanguis Chriſti: ſed dixit, Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum: accipite, bibite ex hoc omnes, hic eſt ſanguis meus. Præterea doctorum Romanæ eccleſiæ diuerſæ ſunt opiniones quibus nam uerbis dominus ipſe conſecrarit. Et Apoſtoli non uſi ſunt hac forma conſecrationis, qua Romana eccleſia utitur.

Verum in Euangelicis eccleſijs, miniſtri, iuxta Chriſti & Apoſtolorum doctrinam, per electionẽ, & manuum impoſitionem, atq; preces eccleſiæ, ordinantur & inſtituuntur. Ideoq; ſacramentorum efficaciam non ponimus in miniſtrorum poteſtate, dictis aut factis, ſed in deo eiusq; inſtitutione, uirtute & uerbo. Et quia deus Baptiſmum & Cœnã Vera conſecratio.

domini per eos administrari iussit. firmiter credimus, cum à ministro sermo domini & institutio repetitur, & ecclesia uerbo & ordini diuino obedienter obtemperat, Dominum institutioni & ordinationi suæ adesse, eamq; spiritu suo efficacem facere: quod præcipue fideles spectant. Qua de re alibi copiosius scripsimus.

QVAESTIO XLIII.

An non sub una specie tantum percipiatur quantum sub utraq;, ita ut Christus totus sub unaquaq; specie sacramenti contineatur, idcoq; totus Laicis sub una tantum specie porrigatur?

RESPONSIO.

An sub una specie totus Christus sit.

NOn opus est acutis his quæstionibus, uos potius fidelibus ea date quæ Filius dei ipsis legauit & concessit. Scimus equidē uerum uiuumq; Christi corpus nō esse absq; sanguine, sed hæc simul coniuncta esse: quin etiam Christus hæc non ignorauit, & tamen nihilominus sacramētum hoc non tantum in specie panis, sed etiam uini, instituit. Quod si Laicis ad salutem sufficit sacramentum sub una tantum specie percipere, propterea quod in ea Christus totus est: sufficiat etiam totus Christus sacerdotibus, ut ipsi quoq; dimidiatum sacramentum accipiant. Verum hac ipsorum quæstione & actione institutio Christi in dubium reuocatur & euertitur. Hunc autem morem esse eorum qui humanas constitutiones tuentur & erigūt, dominus ipse docet: nam per has dei mādata et instituta uiolantur et abolētur, Matth. 15.

QVAESTIO XLIIII.

An credant Christum Cœnam tantum cum Apostolis celebrasse, ac Laicos tum non accepisse utranq; speciem?

RESPON-

RESPONSIO.

SI Apostoli quasi unicum exemplar sacerdotū soli in Cœna Christi sacramentum acceperunt, iure à uobis quærimus qua potestate aut ex cuius mandato sacerdotes non tantum poculum non porrigant, uerum potius cur panem porrigant, aut quare mulieres ad Cœnam domini admittant, cum tamen, utpote quæ inter Laicos numerentur, in prima Christi Cœna non adfuerint? Si igitur Laicis poculum sanguinis Christi denegandum est, quia ultimæ Cœnæ Christi non interfuerunt: et sacerdotibus ideo debetur, quia ipsi interfuerunt: sequitur, totum sacramentum tantum ad sacerdotes pertinere, & neq; unam neq; ambas species Laicis deberi. Etenim iniuste sacerdotes ea Laicis dant, quæ Christus ipsis solis dedit. Sed hoc horribile auditu est. Doctrina uero Euangelij & Apostolorum longe melior est & plenior consolatione: nempe Christum dominum in ultima Cœna locutum esse de communi redemptione totius humani generis, quā impetrarit suo corpore tradito et sanguine profuso. Ideoq; enim clare et diserte ait, Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur: hic est sanguis, qui pro uobis, siue pro multis, effunditur in remissionem peccatorū. Quamobrem cum corpus & sanguis Christi sola sint liberatio, & unicus cibus & potus omnium fidelium, siue sacerdotes aut ministri ecclesiarū, siue mulieres, uiri, Laici aut cuiuscūq; alterius nominis & conditionis fuerint: sequitur etiam totam Cœnam domini, tam potum quàm cibum, omnibus communem esse. Sin uero sacramenta non pertinent ad ipsos, tum neq; corpus neq; sanguis Christi ipsorum est. Verum dominus separatim & expresse ait, Bibite ex hoc omnes: et Marcus addit, Et biberunt omnes. Præterea Paulus ait, se id ecclesiæ (ecclesiæ inquam, non ministris tantum aut sacerdotibus in ecclesia) Corinthiorum tradidisse, quod à domino

An solis Apostolis cœna domini data sit.

Ambæ species sacramenti omnibus fidelibus debentur.

acceperit. Sed septemplici testimonio ex 10. & 11. cap prioris Epistolæ ad Corinthios probari potest, ipsum utranq; speciem, panem & uinum, fidelibus mulieribus pariter & uiris, Laicis atq; sacerdotibus dedisse: quamobrem negari non potest, ipsum à domino accepisse hoc ipsum, ut fidelibus sacramentum daret. Proinde sequitur, in ultima Cœna Christi Apostolos non tantum sacerdotum, sed omnium fidelium exemplar fuisse: ac dominum non præbuisse peculiare & separatum sacramentum sacerdotibus, & aliud atq; peculiare Laicis: sed & nunc quoq; unum idemq; sacramentum per ministros porrigere tam Laicis quàm sacerdotibus. Neque enim minister plus accipit quàm Laicus, neq; etiã plus facit, nisi quod sacramentum, cum ministerio fungitur, porrigit, & huius minister est. Grauiter uero peccatur à Romana ecclesia, quod sacramentum à Domino institutum, ut unitatis sacramentum sit, per quod fideles in unum corpus constringantur, ipsi accõmodant ad defendendam suam separationem, potestatem & fastum, quo cæteros fideles superare uolunt, perinde quasi pro dijs habendi sint, quos summis honoribus afficere, & reliquis omnibus anteferre oporteat. Multa & admiranda de hac re scripsit Gabriel Biel in Canonem Missæ Lect. 4. quo loco sacerdotes extollit supra beatam uirginem matrem Christi, supra omnes angelos & sanctos, & supra omnia quæ magna sunt in cœlis & in terra.

QVAESTIO XLV.

An credant Christum cum duobus discipulis in Emaunte, præterea Apostolos Act. 2. & Paulum Act. 20. ac 1. Corinth. 11. una tantum specie usos esse, ac panem solum Laicis porrexisse?

RESPONSIO.

Quod

QVod Christus panem fregit cum in Emaunte mensæ cum duobus discipulis assedisset, nõ probat laicis Christianis dimidiatum duntaxat sacramentũ porrigendum esse. Neq; enim probarunt Cœnam, quam dominus in diuersorio cum discipulis inchoauerat, mysticam cœnam cõmemorationis ipsius fuisse. Quod si planè mystica cœna fuisset, nihilominus tamen historia hæc singulare tantum factum ontinet. Singularia autem facta seu exempla nihil probant, ubi aliter, quàm factum est, lege præcipitur. In Euangelio autem expresse describitur quomodo Cœna domini administrari debeat, nempe pane & uino. Quare cum factum hoc quod Lucæ 24. cõmemoratur, non omnino conueniat cum institutione Cœnæ domini, nihil contra legem probat. Quin etiam fieri potest, ut una tantũ species nominetur, & altera per synecdochen subintelligatur. Præterea non probarunt, Cleopham cum socio, laicos fuisse. Quod si discipuli seu sacerdotes uel ministri fuerunt, à domino ad ministerium uerbi electi, quod uerisimilius est, tum hoc exemplum nihil probat. In Actis autem Apostolorum Cœna domini Fractio panis nominatur, unius partis respectu: non tamen ideo sequitur potu ipsos non usos esse, quandoquidem illum dominus simul instituit.

Cœna Christi cum duobus discipulis in Emaunte.

QVAESTIO XLVI.

An non Corinthij qui utraq; specie usi fuerunt, in specie uini turpiter sui ipsorum obliti sint, ideoq; Paulus illis scripserit, se cum uenerit amplius eos adhortaturum?

RESPONSIO.

PAuli uerba aperte docẽt Corinthios in alijs rebus peccasse, non in eo quod utranq; speciem sumpserunt. Dicere enim Apostolus ait, se utranq; speciem à domino acce-

Corinthij non peccarunt quod potu uterẽtur uini usi sunt.

piſſe, ut illis utranq; tradat, & has quoq; ipſos accipere iubet: atq; huic ſententiæ teſtimonium perhibent uerba Pauli 1. Corinth. 11 capite, ad quæ remitto. Quomodo ergo ſcribe ret, ſe poſtquam ad ipſos uenerit, amplius eos adhortaturũ, hoc eſt, aliud ſe docturum quàm antea ex uerbis Chriſti docuerit? Et certe mirandum eſt, ipſos hanc quæſtionẽ Paulo impingere auſos eſſe, quæ adeò aperte & manifeſte Paulo aduerſatur. Quare pluribus uerbis & acrius hoc loco contra ipſos agere poſſem, niſi id potius mihi propoſitum eſſet, pijs & fidelibus hominibus ante oculos ponere ueritatem, ut errores agnoſcant, quàm aduerſarios noſtros pro ipſorũ merito reprehendere. Quare alios reprehendere & obiurgare ipſos permittam, ac ut cœpi ad quæſtiones ipſorũ reſpondere pergã. Forſan alio tempore poſthac plura de hac re dicenda erunt, itaq; nonnulla in ſubſidiũ reſeruabo, quæ commode ſuo tempore proferantur.

QVAESTIO XLVII.

An credant, ad euitanda multa pericula & ſcandala, recte & pie decretum eſſe in Conſtantienſi & Baſilienſi Concilio, ut pro conſuetudine Chriſtianæ eccleſiæ Laicis una tantum ſpecies ſacramenti porrigatur?

RESPONSIO.

Concilium Conſtantienſe de utraq; ſpecie.

CConciliũ Cõſtantienſe ſeßione 13. aperte fatetur, Chriſtum utranq; ſpeciem inſtituiſſe & dediſſe diſcipulis: ac primã ſanctã Chriſti eccleſiã fidelibus ſacramentum dediſſe ſub utraq; ſpecie. Si uero hæc uera ſunt, quæ certe non aliter ſe habere poſſunt, cuiuſuis Chriſtiani iudicio expendendum permitto, an Concilium Cõſtantienſe, quod 1400. poſt Chriſti natiuitatẽ celebratum eſt, aut Baſilienſe, quod illo poſterius eſt, aut quoduis aliud Concilium, cuiuſcunq; nominis

nominis & authoritatis, potestatem habeat ut abroget ea quæ Christus instituit, & prima Apostolica ecclesia in usu habuit: aut hæc ipsa hæreseos condemnet? Nemo certe hominum, imò ne angeli quidem hanc potestatem habent, atq; idco si pergũt ea hæreseos damnare, quæ à Christo instituta & in prima ecclesia recepta fuerunt, facile omnibus appareret, Christum ipsam & eius ecclesiam his Concilijs suspectam esse: uerum ego malo cum Christo & ecclesia hæreticus nominari, quàm cum postremis his Concilijs Christiani nomine celebrari.

Addunt quædam de euitandis periculis & scandalis, uidelicet ne laici quicquam effundant, & hac ratione sacramentum contumelia afficiant. Quasi uero æterna dei sapientia hæc non uiderit antequam hunc potum instituerit: et non potuerit, si ita uisum esset, laicis poculum nõ præbere? Sed cum ipsa illud eis præbuerit, nos hoc eis relinquamus. Nisi homines diuina sapientia sapientiores esse uelint. Num uero sacerdotes non æquè illud effundere possunt atq; laici? quare ergo ipsis non etiam denegatum est? Verum Cœna domini multis & longe alijs rebus contumelijs afficitur & scandalo fit, quàm cum aliquid non sponte & de industria, sed casu in terram cadit aut effunditur. Fides uera, ardens charitas, firma spes, fidelitas, misericordia, iustitia, puritas eorum qui communicant, hæc sunt uera ornamenta sacramentorum. Quamobrem quarum offensionũ authores sint, aut quo honore sanctum hoc sacramentum afficiant illi, qui ex eo quod illud penè quotidie sumunt, uictum sibi parant, interim tamen scortationi, ebrietati, impuritati, iniustitiæ student, & publice turpiter magno hominũ offendiculo uiuunt, nunc omnibus hominibus dei beneficio notum est. Rogo autẽ deum, ut omnes qui talia faciunt, peccatorum agnitione donet, quo ab illis resipiscant, & uitam recte instituant, Amen.

De periculis & scandalis in usu utriusq; specici.

XII. DE SACRIFICIO MISSAE.

QVAESTIO XLVIII.

An credant uerum corpus & sanguinem Christi in sacramento altaris, esse uerum & deo gratũ sacrificiũ, quod in ecclesia Christi pro uiuis & mortuis in sacro Missæ officio indesinenter offerri debeat, usquequo Christus ueniat?

RESPONSIO.

Christi corpus non amplius sacrificari.

CVm supra satis probauerimus, uerum corpus & sanguinem Christi non esse corporaliter in sacramento, necessariò sequitur hæc non posse à sacerdotibus in Missa offerri. Romana tamẽ ecclesia docet, in officio Missæ uerũ Christi corpus, atq; uerũ eius sanguinẽ adesse corporaliter & substantialiter, & deo offerri per sacerdotem, pro peccatis uiuorum & mortuorum, atque etiam adorari debere. Ipsa uero Missæ forma non cõsentit institutioni Cœnæ Domini, sed temporum progressu uarijs additionibus, ritibus & cerimonijs aucta est, ita ut Gregorius 7. Pont. confitetur sua ætate per orbem Christianum Missas non eodem modo celebrari: quare citra controuersiam Apostoli, Petrus, Iacobus, Matthæus, nunquam Romanæ ecclesiæ Missam celebrarunt, imò eam penitus ignorarunt. Iure ergo Euangelicæ ecclesiæ Romanam Missam omiserunt & abrogarunt, ac eius loco recte & pie substituerunt sacram Cœnam domini nostri Iesu Christi, quæ ueteri Apostolico more absq; ullis humanis aut Pontificijs additionibus pie celebratur. Itaq; ad propositam quæstionem respondemus, nos propter causas quas partim iam exposuimus, partim deinceps exponemus, non agnoscere neq; recipere Missam pro instituto dei, sed ut contrariam nostræ religioni fugere.

Verum

Veruntamen, ut sacrificiorum ratio melius cognoscatur, quædam addemus. Duo præcipua sunt sacrificiorum genera inter Christianos, Propitiatorium pro reconciliatione & remissione peccatorum, & Eucharisticum gratiarũ actionis, quo fidem nostram exercemus, deo seruimus, & illi propter beneficia ipsius cum uerbis tum factis gratias agimus. In Veteri Testamento Propitiatorium sacrificium multis figuris adumbratũ est, res tamen figurata unica fuit, corpus scilicet & sanguis Christi, quæ immolanda erant in cruce. Quamobrem posteaquam Christus in mundũ uenit, & tempus adfuit ut corpus & sanguinem suum in cruce offerret ad remissionem peccatorũ, instituit in Cœna sua sacramentum traditi corporis & effusi sanguinis, & Poculum nominauit Nouum Testamentum in sanguine suo. Etenim deinceps unicum hoc sacramentum esse oportebat, quod loco omnium ueterum sacrificiorũ, quæ figuræ fuerant, in ecclesia maneret, & testimonium ferret, Christum sicuti in Veteri Testamento per figuras sacrificiorum promissus fuerat saluator, ita in Nouo Testamento exhibitum esse: & sacrificio corporis & sanguinis sui aboleuisse in æternũ omnia peccata fidelium. Quamobrẽ cũm dominus seipsum in cruce offerret, & hora eius adesset, ut spiritum suum poneret, & morte sua peccatum, mortem & inferos occideret, alta uoce clamauit, Consummatum est. Quasi diceret, Sacrificiũ illud peractum est, quo consummatæ sunt omnes promissiones & figuræ ueterum, & peccata condonata sunt, & parta est æterna iustitia omnibus fidelibus ad uitam æternam. Posteaquam uero dominus mortuus est, & seipsum hac ratione deo cœlesti patri in sacrificium obtulit, ruptum est uelum templi, magna miracula in mortuis & uiuis, et in cœlo atq; in terra edita sunt. Hac autem ratione suum finem sortita sunt, Vetus Testamentum, Leuiticum sacerdotium, &

De sacrificijs Christianorum.

Christũ esse unicum sacrificium expiatoriũ.

omnia sacrificia. Quare superest tantum unicum & æternum sacrificium Christi, ut longe dignissimum, sanctissimũ, summum & efficacissimum. Hæc autem eius proprietas est, ut à nullo hominum sacrificari potuerit, aut adhuc possit, propter suam excellentiam & sanctitatem, atq; hominum imperfectionem. Ideoq; Christus seipsum sacrificauit, hoc est, seipsum in mortem tradidit: atq; ita unicus & æternus est Pontifex secundũ ordinem Melchisedec, ut qui solus sit Pontifex, & solus etiam sacrificium, atq; seipsum deo obtulerit. Ad hæc sacrificium quod obtulit unicum est, hoc est, semel duntaxat oblatum est, neq; denuo sacrificari potest. Nam sacrificium eius semel oblatum, est mors ipsius quæ semel facta est, & efficax est, ut sola & perpetuò hominibus omnium ætatum efficax sit, ad reconcilianda & remittenda ipsorum peccata. Quoniam ergo Christus pro nobis passus, mortuus & sepultus est, atq; à mortuis resurrexit, & in cœlos ascendit, ac ipse & unicum eius sacrificium in conspectu dei semper ad nouissimum usq; diem apparet, & sese pro perfecta & plena redemptione fidelium offert, id sufficit, neq; opus est ut in ecclesia in his terris ulla posthac sacrificia pro peccatis offerantur. Quod si quis præterea pro suis peccatis sacrificare uoluerit, facto hoc ostendit, se non credere peccata sua per unicam mortem aut unicum sacrificium Christi expiata esse. Si nanq; credit perfecte expiata esse, cur denuo sacrificat? An non illi sufficit unicũ & æternum Christi sacrificium? Quapropter sequitur, sanctã Christianam ecclesiam, ad finem usq; mundi non aliud propitiatorium sacrificium habere, quam mortem & passionẽ Christi. Quæcũq; uero hactenus scripsi de unico propitiatorio sacrificio Christi, firmis, apertis et certissimis testimonijs scripturarum cõfirmantur, Leuit. 16. Zach. 3. ad Hebr. 5. 7. 8. 9. & 10. cap.

Verum

Verum ut ad Cœnam domini redeamus, ea quatenus à nobis administratur non est sacrificium propitiatorium, ut per actionem Cœnæ, quatenus à nobis fit, liberemur à peccato. Morte nanq; & sacrificio Christi peracto in cruce, à peccatis liberamur & purgamur si fidem habemus. Neq; Christi mors in Cœna denuo repetitur, aut corpus ipsius rursus in ea offertur: quin etiam nullus sacerdos ipsum offerre potest. Recordatio uero & cõmemoratio sacrificij semel facti fit in Cœna à tota ecclesia, non tantum à sacerdote. Nam ita dominus iussit, Hoc facite in mei recordationem. Recte ergo & conuenienter sacris literis D. Augustinus contra Manichæos scribit, ante aduentum Christi sacrificium corporis & sanguinis Christi promissum fuisse per figuras sacrificiorum Veteris Testamenti: sed in aduentu & passione Christi uere præstitum esse: at post ascensionem Christi in cœlos, commemorationem huius celebrari. Quamobrem nullis scripturarum testimonijs confirmatur sententia eorum qui dicunt, corpus & sanguinem Christi sacrificari in Missa pro uiuis & mortuis usque ad finem sæculi. Vt iam illud præteream, mortuos iam sententiam suam recepisse, sicuti in 34. & 35. Quæstione dictum est. Præterea mortui non amplius sunt capaces Cœnæ domini: nam dominus inquit, Accipite, edite: quod nullo modo mortuis conuenit. Verum quod sacerdotes pro mortuis edunt, absque Christi mandato, imò contra illud faciunt. In summa, Cœna domini est tantummodo uiuorum recordatio sacrificij Christi, semel peracti in cruce, non autem ipsum sacrificium. In cœna cõmemoratio fit, unici sacrificij Christi.

Sacrificium Eucharisticum Christianorum complectitur primum laudes & gratiarum actionem, quæ deo pro omnibus beneficijs in nos collatis ex pura fide offerimus. Quoniam uero in Cœna domini præcipue peragimus recordationem mortis Christi & nostræ redemptionis, & De sacrificio Eucharistico.

idcirco deum celebramus, & illi gratias agimus, ideo ueteres Cœnam domini ſacrificium nominarunt: nos quoque hac ratione libenter ſacramentum hoc deo acceptum ſacrificium eſſe agnoſcimus: non quod ſacerdos offerat corpus & ſanguinem, aut preces, meriti & lucri cauſa, ſed quod tota eccleſia in ſuis precibus laudem & gratiarum actionem deo offert pro beneficio ſacrificij Chriſti, qui ſeipſum ſemel in cruce obtulit. Multa uero in ſcripturis de hoc ſacrificio traduntur, in Pſalmis & Prophetis, & in Pauli Epiſtolis, præſertim ad Hebr. 13. cap. Item ab Irenæo & Tertulliano in uerba primi capitis Malachiæ, &c. Præterea deo acceptum ſacrificium eſt, ſtudium obediendi mandatis illius, ad ædificandam fidem, & ad alios homines ad bonum prouocandos. Acceptum etiam deo ſacrificium eſt, condonatio offenſarum, amor & beneficentia mutua: item ſtudiũ iuſtitiæ & caſtimoniæ: imò ut ipſa corpora & animas noſtras deo uiuum ſacrificiũ offeramus. Quemadmodum nos multipliciter inſtituunt & adhortantur Pſalmi, Prophetæ, Euangeliſtarum & Apoſtolorum ſcripta, præſertim 12. caput Epiſtolæ ad Romanos.

Arbitramur magis neceſſarium & multo etiam utilius eſſe, ut homines de his ſacrificijs edoceantur, & hæc illis commendentur, quàm ut Miſſæ ſacrificium urgeatur: per quam negotiationes & diuitiæ eorum qui ſpirituales nominantur, potius promouentur & augẽtur quàm gloria Chriſti & ſalus fidelium. Expendant autem quæſo ſecum diligenter omnes pij, doctrinam hanc quam de ſacrificijs Chriſtianorum hactenus propoſuimus: & opinionibus atq; affectibus ſepoſitis, conſiderent fideliter quidnam ipſis maxime ſalutare ſit.

DE

DE POENITENTIA ET Confessione. XIII.

QVAESTIO XLIX.

An credant tres esse partes Pœnitentiæ, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem?

RESPONSIO.

MVlta de Pœnitentia seu emendatione uitæ scribuntur in sacris literis Veteris & Noui Testamenti. Doctrina enim Pœnitentiæ utilis & necessaria est omnibus Christianis. Nomen aũt Germanicũ Pœnitentiæ Büß à bützen deductum est, quo nomine nunc quoque nonnulli pœnitere bützen appellant, quod est sarcire. Sarcire autẽ significat res laceras, dissipatas & ruptas redintegrare & restituere. Hebræi pœnitere dicunt conuerti ad deum: & pœnitentiam, conuersionem ad deum. Qui uero ad deum conuertitur, hunc necesse est ante scire & agnoscere se à deo auersum esse, item quid deus sit, & quomodo ab ipso auersi simus, & quomodo ad eum conuerti oporteat. Ita etiã hunc qui pœnitere debet, agnoscere oportet suam prauitatem, et quomodo id quod ruptum atq; lacerum est resarciri possit. Hæc autem à miseris peccatoribus non possunt fieri, nisi uerbo & spiritu dei trahantur & erudiantur, & peccator deo uerboq; ipsius credat. Hoc enim ita ante omnia necessarium est, ut nisi deus ex gratia per spiritum suum cor peccatoris aperiat & trahat, & nisi uerbo suo uiam nobis demonstret, & in uia conseruet & gubernet, nisi item fidem det, & nisi uera fides pœnitentem uiuificet & iustificet, ut tum, inquam, si hæc non adsint, omnis pœnitentia quan-

Quid sit Pœnitentia & pœnitere.

Quæ nam sit uera pœnitentia.

tumuis dura & difficilis uideatur, non sit uera pœnitentia. Huius rei Iudas exemplum esto, quem peccati pœnituit, & id sacerdotibus in templo confessus est, dicens, Prodidi innocentem sanguinem: præterea hac in parte satisfecit, quod iniustas & sanguinarias opes in templum abiecit. Quid uero illum hæc pœnitentia iuuit, quæ tamen Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem habuit? Nihil planè hæc ipsum iuuerunt: nam quia uera fide caruit, desperauit, & seipsum interfecit. E contrario autem Petrum dominus respexit, & ille gallo canente recordatus est uerborum domini, quibus credens à praua societate recessit, & peccata sua deplorauit, uitia emendauit: & hæc eius pœnitentia uera & recta fuit. Hanc doctrinam confirmat Ieremias propheta, qui 31. cap. Dominum orat, & ait, Conuerte me & conuertar, quia tu dominus deus meus. Postquam enim conuerteris me, resipiscam: & postquam ostenderis mihi, percutiam femur meum. Quamobrem ueram pœnitentiam & dolorem de admissis peccatis, à deo proficisci oportet ex uera fide, ut non mundana sit pœnitentia, sed secũdum deum, 2. Corinth. 7. De Confessione & Satisfactione deinceps sequetur.

QVAESTIO L.

An credant peccata cum omnibus ipsorum circũstantijs sacerdoti in Confessione sacramentali confitenda esse?

RESPONSIO.

Quænam confessio bona & necessaria sit.

Confessio seu enumeratio peccatorum quæ fit coram sacerdote cum omnibus ipsorum circumstantijs, quomodo, ubi, quis, cum quo, quoties, & quare peccauerit, frustra & absque ulla ratione sacramentalis Confessio nominatur. Deus enim, ut supra ostendimus, solus sacramenta instituit,

instituit, uerum Confessionem hanc neq; ut sacramentum instituit, neq; ut necessariam ad salutem præcepit. Aliam quidem utilem & necessariam confessionem docent sacræ literæ, & deo humiliter ex corde & uera fide confiteri iubent. Nam deus solus est contra quem peccamus, qui corda nostra nouit, & omnes etiam actiones & instituta nostra, ac solus peccata punit & remittit, & Filium suum nobis dedit Pontificem, & unicum atque æternum sacrificium. Itaque per Christum ad deum patrem accedendum est, & illis uerbis quæ Christus ori nostro inseruit, & quibus nos confiteri docuit, Deo confitendum est, & dicendum, Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Hac autem ratione quibusuis temporibus, & omnibus in locis, & in cunctis necessitatibus omnes fideles deo confiteri possunt, cum publice tum priuatim. Priuatim, quando singuli separatim orant, & deo sua peccata confitentur. Publice uero, cum quis in ecclesia cum toto cœtu orat & confitetur. Multa uero exempla in utroque Testamento occurrunt, eorum qui deo confessi sunt, & ab ipso ueniam peccatorum petierunt, atque impetrarunt. Nulla uero præcepta uel exempla extant aliquorum qui hominibus aut sacerdotibus confessi fuerint. Hic enim honor deo duntaxat debetur, qui Filium nobis Pontificem dedit, qui uniuersorum ac singulorum fidelium confessiones sufficienter audit, ita ut non opus sit eius loco homines aliquos constituere qui confessiones nostras audiant. Quicunque enim ex intimo corde & uera fide, ratione supra exposita, Deo patri & eius Filio, unico nostro Pontifici Iesu Christo confitentur, & eius gratiam & misericordiam petunt, hi plenam peccatorum remissionem impetrant. Quamobrem ab aduersarijs nostris quæro, an hæc uera sint, nec ne? Si negant, obijcimus illis orationem Dominicam, in qua confi- Deo confiteri.

temur & oramus, Remitte nobis debita nostra: sed dominus dixit, Quæcunque petieritis in nomine meo, accipietis. Obijcimus etiam illis dogmata fidei nostræ, in quibus confitemur, nos credere peccatorũ remißionem. Scimus etiam si secundum uerbum dei credimus, nos ea adipisci quæ credimus: credimus autem peccatorum remißionẽ, ideo ipsam adipiscimur. Postremo illis opponimus claras promißiones diuini uerbi, præsertim uerba Ioannis 1. epistola 1. cap. Si confitemur peccata nostra, fidelis est & misericors qui ea nobis condonet. Hæc igitur cum sic se habeant, & ueritate ipsa confirmatum sit, eos qui deo & eius Filio domino nostro confitentur, plenam peccatorum remißionem impetrasse, non opus utique est sacerdotali illa Romanæ ecclesiæ confessione.

Confessio quæ fit proximo.

Alia præterea cõfessio omnibus fidelibus à domino mandata est, nempe ut unusquisq; alteri errores & lapsus suos confiteatur, quibus proximum offendit aut iniuria affecit, & ut unusquisq; omnem offensionem erga iniuriũ uel eum qui iniuriam passus ex animo deponat, condonet, & pro ipso oret. Hæc autem confessio etiam orationi Dominicæ inserta est: dicimus enim, Sicut et nos remittimus debitoribus nostris. De hac confessione D. Iacobus 5. cap. loquitur, non de ea quæ fit sacerdotibus.

Aduersus confessionem quæ fit sacerdoti.

Præter hanc confessionem ne unica quidem litera alicuius confessionis mentio fit in sacris literis, quam sacerdoti enumeratis omnibus circumstantijs peccatorum, ut ipsi docent, facere oporteat. Nusquam præterea beati Apostoli audiendis confessionibus uacarunt, aut absolutionem in aures confitentis insusurrarunt. Euangelij prædicatio est illud ipsum lætum nuncium, quo prædicatur homines captos, & morti adiudicatos, per mortem Christi à culpa & pœna liberos pronunciari, & in gratiam atq; in

numerum filiorum dei recipi: sicuti Christus ipse ex 61. ca. Esaiæ prophetæ Nazarethi docuit, ut Lucas quarto capite refert: & idem à Paulo confirmatur 2. Cor. 5. Quamobrem nullo ueritatis fundamento nititur, quod Romani illi obijciunt, sacerdotem ignorare qualitatem seu conditionem peccatorum, nisi ea diligenter ipsi retegatur & exponatur, ita que ignorare etiam quid condonandum aut reseruandũ sit. Quare si peccata ab ipso remittenda aut reseruanda sint, necesse esse ut prius peccata illi aperiantur & retegantur. Christi enim uerba de remittendis aut reseruandis peccatis, ad prædicationem Euangelij & excommunicationem pertinent, nõ ad peculiarem quandam sacerdotum potestatem: de qua postea dicemus. Similiter cum Christus leprosum seipsum sacerdoti ostendere iußit, non præcepit ut confiteretur sacerdoti, sed ut seipsum iudicandum sacerdoti exhiberet & sacrificium offerret: iudicium enim lepræ tum penes sacerdotes erat, Leuitici 13. & 14. cap. Quod uero dicunt lepram figuram fuisse peccatorum: respondemus, quod res spirituales & peccata sacerdotes & sacrificia figuræ fuerunt Christi, itaque ad Christum remittimur, ad quem etiam Samaritanus ille non ad quenquam sacerdotũ accessit, et sanatus est. Ita nos quoque speramus Christum nos liberaturum & seruaturum, si in ipsum credamus, et illi uere confiteamur, etiamsi nullum sacerdotem accedamus. Vetus ecclesia ante Christi natiuitatem, & longo tempore post eius aduentum, penitus ignorauit confessionem et absolutionem sacerdotalem: initio etiam, postquam recepta fuit, non præcepta est, qua de re mentio fit De pœnit. dist. 1. Verũ in Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. præcepta est, anno domini 1215. Nolo autem nunc commemorare quàm miserè piorum hominum conscientiæ afflictæ fuerint per hanc Pontificiam & Romanam Confessionem: quam item plerunque

plus mali quàm boni homines hinc didicerint: & quàm turpia & nefanda flagitia sæpenumero in Confessione perpetrata fuerint: præterea quomodo confessio potestati, fastui, & erroribus atque seductioni falso nominatorum spiritualium inseruierit: neque enim minimum firmamentum fuit, ac nunc quoq; est regni ipsorum: itaq; non absq; causa adeo strenue laborant pro tuenda & conseruanda hac Confessione. Hæc enim nunc, laus deo, uniuerso orbi patefacta & nota sunt.

QVAESTIO LI.

An non ea, quæ sacerdotes nobis facienda iniungunt propter peccata quæ confessi sumus, facere oporteat tanquam pœnas uel opera pœnitentiæ: et an hæc nostra satisfactio adiuersetur satisfactioni Christi?

RESPONSIO.

De satisfactionib. Romanæ ecclesiæ.

QVandoquidē confessio quæ sacerdoti fit, nullo uerbo aut mandato dei nititur, etiam pœnæ quæ pro pœnitentia iniunguntur, nulla scripturarum testimonia habent, tantummodo quorundam Patrum authoritate nituntur. Itaque respondeo, fideles non teneri diuino iure ut huiusmodi pœnas, quas satisfactiones uocant, uel petant sibi imponi, uel impositas præstent. Etenim unica tantum & æterna est satisfactio, hoc est precium, reconciliatio, & redemptio à peccatis, nempe mors & supplicium Christi, qui innocenti suo supplicio & morte aboleuit & condonauit pœnam & culpam omnium peccatorum nostrorum. Et hoc ipsum confirmamus testimonio Esaiæ 53. cap. & Euangelij atq; Apostolicorū scriptorum, Pauli præsertim ad Rom. 3. 5. et 1. Cor. 1. &c. Si itaque nostris operibus aut pœnis quas patimur, hoc est, si satisfactioni nostræ, quæ constat castigatione

tione corporis, ieiunijs, precibus, eleemosynis & alijs operibus, id tribuimus ut propter ipsam culpa & pœna à domino condonetur, aut si arbitramur quod ista satisfactione per soluamus & rependamus ea propter quæ deo obnoxij sumus, tum certe huiusmodi satisfactio ex diametro pugnabit cum satisfactione Christi. Nisi forte Paulus non recte in simili causa ratiocinatur, dicens, Nam si per legẽ est iustitia, igitur Christus sine causa mortuus est. Eodẽ nanq; modo nos quoq; ratiocinamur, Si satisfacere poteramus p peccatis nostris, quid opus erat Christum crucifigi? Quamobrem ecclesia retinet unicam & æternam satisfactionem, mortẽ Christi, & hac sola omnes fideles contenti sunt, quippe qui alioqui opera sua non adeo digna & perfecta iudicant, ut ipsa peccata aboleant, & deo pro his, quibus illi obnoxij sunt, satisfaciant, & uitam æternam mereantur.

Disciplina fidelium & eorũ exercitia.

Interea obseruandum est, fideles qui mortem Christi unicam suam satisfactionem & redemptionem agnoscunt, & à Christo sanati et liberati sunt, studiose & diligenter uitare peccata, libenter etiam perpeti quæcunq; ipsis deus immiserit, non ut hac ratione satisfaciant, cum iam ante Christus solus satisfecerit, sed quia ita deus ipsos exercet, & eos à peccatis reuocat, ac testatur ualde sibi peccata displicere, & se exercere suorum fidem, atque ipsos passionis Christi participes facere. Itaque cum deus propter Christum in gratiam recepisset Dauidem & Adamum, & illis peccata condonasset, nihilominus in hac uita in omni mortificatione carnis ipsos exercuit. Christus quoque in Euangelio homini quem sanauerat, ait, Ecce, sanus factus es: ne amplius pecces, ut ne quid deterius tibi cõtingat. Itaq; uulgari apud nos prouerbio dicitur, Non amplius idem peccatum facere, grauem esse pœnam, sed optimam. Ioan. 5.

Indulgẽtiæ Romanæ.

Ex his autem pœnis & satisfactionibus Pontificiorum,

quæ nullo fundamento nituntur, exortæ sunt Romanæ indulgentiæ. Nam iniungentes pœnitentibus graues pœnas, & docentes, pro quouis peccato mortali satisfaciendum esse multorum annorum abstinentia, quam à carendo Carenam nominarunt: per indulgentias deinde relaxabant pœnas ante iunctas. Itaque cum multa annorũ millia & multas Carenas condonarent, pecuniam eo nomine accipere cœperũt, & ex templo dei forum, mercatoriámue domum, aut potius
Ierem.7. Ioan.2. Matth. 21. spelunca latronum fecerunt: quamobrem dominus breui ipsos flagellis ex ecclesia eijciet.

XIIII. DE POTESTATE SACERDOTVM

QVAESTIO LII

An sacerdotes mandatum & potestatem habeant, ut peccata, propter quæ dolemus, & quæ confessi sumus, condonent, aut reseruent?

RESPONSIO.

Potestatem ministeriũ esse.

POtestas à Christo ministris ecclesiæ data, potius ministerium quàm potestas est. Nam potestas proprie est solius Christi. Potestas uero seu ministerium quod ministri uel sacerdotes acceperunt, tantum ad ædificationem pertinet, non ad destructionem, sicuti Paulus aperte docet 2. Cor. 10.

De clauib. regni cœlorum.

Claues quidem regni cœlorum ministris ecclesiæ datæ sunt. Dominus enim illas Petro & reliquis Apostolis promisit, Matth. 16. his uerbis, Dabo tibi claues regni cœlorum: & quicquid ligaueris in terra, erit ligatum in cœlis: & quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis. Eadem uero dedit omnibus discipulis, Ioannis 20. cap. dicens: Sicut misit me Pater, ita & ego mitto uos. Quorumcunq; remiseritis peccata,

cata,remittuntur eis: quorumcunque retinueritis, retenta sunt. Quamobrem soluere, est peccata remittere: ligare autem, est peccata non remittere siue retinere. Quoniam uero nemo peccata remittere aut condemnare potest, nisi solus deus: ministri autem dei mandato Euangelium prædicando hominibus annuntiant, deum remittere ipsis peccata, & ipsos, si in Christum credant, ab omni culpa & pœna liberare: docent item peccata non condonari, & homines non liberari à damnatione, si in Christum non credant: ob has causas scripturæ dicũt ministros ligare uel soluere, aut retinere uel cõtra remittere peccata. Quoniã hæc uere prædicãt: et ea sicut illi prædicãt, ita etiã uere fidelibus aut infidelib. euenũt. Deus enim in cœlo ea seruat, quæ ministri ipsius in terris pmittunt. Ex his ergo facile colligi potest, claues esse Euangelij prædicationem, non peculiarẽ aliquã potestatem, sicuti aduersarij nostri docent. Veluti enim quandoque dominus aliquarum ædium claues seruo dat ad aperiendam et claudendam domum, ad homines intromittendos aut excludendos: ita etiam ecclesia domus est dei, in qua qui sunt, hæredes sunt regni cœlestis: qui uero extra ecclesiam in infidelitate degunt, hi nullam partem habent in regno cœlorum, & quasi apud inferos sunt: ecclesiæ autem ministri claues à Christo acceperunt, hoc est, prædicationem Euangelij, ut per eam aperiant & claudant. Aperiunt igitur quando fidem docent, & remissionem peccatorum atque uitam æternam pollicentur, & homines hortantur, ut ad Christum ueniant, & salui fiant. Claudunt autem cœlos, quando infidelibus, flagitiosis & impœnitentibus hominibus minantur æternam damnationem, & testificantur ipsos è regno dei excludendos esse. Vis autem & potestas hæc præstandi, solius domini est. Sicut etiam Paulus ecclesiarum ministros agricolis comparat, dicens, Itaque neq; is qui plantat est aliquid, De ligando & soluẽdo. 1. Cor. 3.

neque is qui rigat: sed deus qui dat incrementum. Quis igitur est Paulus, quis autē Apollos, nisi ministri, per quos credidistis, & ut cuiq; dominus dedit? Quamobrē solus deus is est q̄ efficaciter peccata remittit aut nō remittit: ministri uero qui claues acceperūt, ministri et præcones sunt liberationis aut captiuitatis. Quamobrē nonnulli Patrū distincte admodū in hac causa locuti sunt, et dixerūt Christum propria potestate in ecclesia agere, ministros autem duntaxat ministerialiter. Facile autē ex his apparet, Romanos, qui miranda ratione claues sibi uendicant, et simplicibus persuadent, se per claues nescio quā admirandam potestatē accepisse, si miles esse infidelibus ministris, qui cum certum & definitum officium à domino acceperint, eo non sunt contenti, sed eiusdem officij prætextu potestatem domini sibi uendicant: ita etiam claues quas acceperunt, in omnia suo arbitratu cō uertere uolūt. Etenim ex clauib. quæ sunt ministeriū prædicandi Euangelij, multas admirandas res Pontificij faciunt, per has nanque claues seipsos suamq; potestatem attollunt supra reges & imperatores, supra omnium hominum animas, honores, corpora atque fortunas. Deinde his clauibus thesauros, imò & conscientias hominum, & ipsum Purgatorium ignem perscrutantur: qua de re multa dici possent, quæ nunc relinquimus. Scimus autem sacerdotibus seu ministris ecclesiæ datū & commissum esse hoc munus, ut uerbū dei prædicēt, ecclesiæ præeāt exēplo uitæ, sacramēta administrēt, & gregē dei pascant atq; custodiāt: sicuti Paulus ad Tim. et Tit. docet. De alia uero & ampliori potestate quā sibi Pontifices & alij primates in ecclesia uendicant, nihil traditur in sacris literis, nisi quod longe alia ratione de ea scribitur in Apocalypsi Ioannis 9.11.13.17. & 18. cap.

Officiū sacerdotum.

QVAESTIO LIII.

An

An homines per huiusmodi retentionem peccatorum, per excommunicationem separentur ab ecclesia Christi, & tradantur potestati satanæ? An publicano & Ethnico conferatur quisquis ecclesiam non audierit?

RESPONSIO.

De excommunicatione & eius abusu.

Miror equidem istos uel audere mentionem facere illius excommunicationis de qua scriptura loquitur: si enim in usu & efficax esset, ipsi primi omnium excommunicarentur. Nam quo loco Paulus eum qui incestum cum matre commiserat, Satanæ tradere iubet, ad interitum carnis, eodem loco uetat ne fideles communionem habeant cũ scortatoribus, auaris, raptoribus, ebriosis, idololatris, &c. Nouimus quidem & confitemur, ecclesiam Christi habere potestatem monendi, hortandi, castigandi, puniendi & excludendi: eos, inquam, qui in peccatis, flagitijs, scandalis & idololatria uiuunt, absq; omni pœnitentia & emendatione. Verum quomodo, quæso, excõmunicatione usi sunt, q̃ spirituales in Romana ecclesia nominantur, quosnã excõmunicarunt? Nã usi sunt excõmunicatione nõ ad extirpanda uitia & flagitia atq; omnem turpitudinem, sed ad sua nomina exigenda & auaritiã promouendam. Quinetiam excommunicationem fidelibus iamdiu quasi frenum iniecerunt, ut ipsos retineant in sua potestate & tyrannide. Ideõque nonnulli Pontifices & episcopi hac excommunicatione reges, Imperatores, principes, respublicas, & honestos homines persecuti sunt & excommunicarunt: quinetiam totas prouincias perturbarunt, & excommunicatione sua inter se commiserunt: tantum ob hanc causam ut (spirituales inquam) soli dominarentur, & sibi uendicarent omnem potestatem datam magistratui diuinitus instituto, atque ut sibi reges & principes subijcerent. Legantur historiæ Gregoriorum 2. 3. & 7. Paschalis, Gelasij, Innocentij, Alex-

xandri, Bonifacij & aliorum Pontificum, quidnam fecerint Imperatoribus Leoni 3. Henricho 4. & 5. Philippo, Fridericis, quid Germanorum & Gallorum regibus, & alijs Christianis principibus: quos Pontifices plerunque contra deum & omne ius ac fas excommunicarunt, & ipsos ac omnes eorũ imperio subiectos, misere uexarunt & afflixerũt.

Ecclesiam non audire.

Eodem modo confitemur, cunctos qui ecclesiam non audiunt secundũ Christi uerba, Matth. 18. publicanis & Ethnicis similes esse. Verum quid hoc ad Romanos? Num arbitrantur omnes publicanos & Ethnicos esse qui contra Romanam ecclesiam loquuntur & faciunt? Ipsi potius ante fiant Christi ecclesia, & tum publicani & Ethnici erunt qui ipsos non audierint. Quod si ipsi publicani & Ethnici fuerint, tum Christiani erunt & nominabuntur qui se ipsis & eorum ecclesiæ opponunt. In summa, in ecclesia Christi admonitionem, adhortationem, increpationem, disciplinam, et castigationem esse oportet, & hæc omnia pro causarum ratione ad ædificationem accommodanda sunt: quicunque uero bono huic instituto se opponit, peccat.

XV. DE MATRIMONIO, VOTIS, & Castitate.

QVAESTIO LIIII.

An matrimonium omnibus absque discrimine liberum et concessum sit?

RESPONSIO.

Matrimoniũ omnib. liberũ, neq; cuiquam interdictũ est

CHristus dominus posteaquam Matth. 19. docuisset, nõ propter quamuis causam diuortium faciendum esse, et discipuli dicerent, Si ita est, satius est non contrahere matrimoni-

trimonium, respondit, Non omnes capiunt hunc sermonem, sed quibus datum est: & tria deinde genera eunuchorũ commemorat, ac addit, Qui potest capere, capiat. Quibus utiq; uerbis testatur & aperte docet, donum caste uiuendi extra matrimonium, non commune & omnibus datum esse, ita ut quiuis possit propter molestias matrimonij à matrimonio abstinere, & deo acceptam uitam extra matrimonium agere. Debere uero unumquenque prius seipsum probare & examinare, an sibi hoc donum datum sit, aut nõ. Quod si sentit se eunuchum esse, hoc est, si experitur se inhabilem & ineptum esse ad matrimonium, uel ex natiuitate, uel quod ab hominibus exectus & eunuchus factus est, uel quod à deo accepit donum castitatis, ita ut caste extra matrimonium uiuere uelit, sciat & possit, hic extra matrimonium uiuere poterit. Ideo autem dico si uelit, sciat et possit, propterea quod Paulus 1. Cor. 7. ita scribit, Qui uero stat firmus in corde, nec adigitur necessitate, sed in potestate habet propriam uoluntatem, & hoc decreuit in corde suo, ut seruet uirginẽ suã, benefacit. Sin uero aliqui nõ sentiant se tales esse, his docet dominus matrimonium institutum esse à deo, ut qui caste & cupidi sunt matrimonij, in illo uiuant. In eandẽ sententiam Paulus eodem loco ita scribit, De uirginibus autem seu uirginitate præceptũ domini nõ habeo, sed do uobis consilium, &c. Item, Sed propter fortationes suam quisque uxorem habeat, & propriũ quæq; uirum habeat. Itẽ, Quod si se nõ continent, nubant: melius est nubere quàm uri. Quã obrem dicimus, matrimonium omnibus hominibus à deo liberum relinqui, neque cuiquam interdictum esse, quicunq; non uoluntarie & constanter ex singulari dono gratiæ se continent. In ueteri Testamento nunquam cuiquam, ac nulli ordini hominum, ne sacerdotibus quidem, qui Christi typum gerebant, prohibitum fuit. In Nouo quoque Testamen-

to ministris ecclesiæ matrimonii non interdicitur, sicut apparet 1. Corinth. nono, & 1. Tim. tertio, & Tit. primo capite. Adhæc in prima Apostolica ecclesia non fuerunt ulli monachi aut monachæ. Paulus etiam aperte ait, uirginem si nubat, non peccare. Et adhuc apertius ad Hebræos decimo tertio capite ait, Honorabile est inter quosuis coniugium, et cubile impollutum: scortatores autem & adulteros damnabit deus. Quod si coniugium sanctum & honorificum est, (quippe quod ab ipso deo in Paradiso institutum est) & si cubile coniugum impollutum & absque peccato est, certe res sancta & bona, nempe matrimonium, nemini interdicta erit. Scortationes autem & adulteria, ac turpes libidines prohibentur: hæc deus iudicat & damnat, non autem matrimonium.

QVAESTIO LV.

An non uota seruanda sint, quandoquidem scriptura dicit, Si quid uouisti, id reddito?

RESPONSIO.

Vota quæ nostra ætate fiunt, dũtaxat inania uerba sunt, absq; opere & effectu.

PLeraq; uota ueteris Testamenti, duntaxat externa & corporea sacrificia & dona fuerunt: quicunque igitur ista uouerat, obstrictus erat ad ea persoluenda. Verum quid hoc ad uota sacerdotum, monachorum & monacharũ, quæ in collegijs & cœnobijs suis faciunt? Vota ista castitatis, paupertatis, & obedientiæ, ignota sunt scripturis & ueteri ecclesiæ. Ac nostra ætate inter falso nominatos spirituales huiusmodi uota inania uerba sunt, absq; ullo opere et effectu: idq; totus mundus nouit, experitur, et uerũ esse fateri cogitur. Etenim quænã est hac ætate castitas, paupertas, aut obedientia in collegijs & cœnobijs? Omnis impuritas libidinum, scortationum, crapulæ, & omnis impudentiæ, clam atque

atque palam in his plerunque exercetur, & sæpenumero cõ spicitur. Qui in mundo inopes & egeni sunt, relicto, ut aiunt, mundo, cœnobia ingrediuntur, et in illis potẽtes & magni fiunt, ita ut sæpe in mundo inuerent, & nullarum rerum penuriam sentiant. Quod si spiritualibus suis dominis obedirent, dei tamen præceptis, & magistratui diuinitus instituto, & plurimi etiam parentibus suis non obtemperant. Quid itaque de his fideles dicere possunt? quidnam in illis deo & uerbo eius approbante laudare poterunt? Cur ergo subinde nobis uota & eorum obseruationem obijciunt? Ostendant potius, deum huiusmodi uota præcepisse, & talia, qualia nunc faciunt, deo accepta esse probent. Quis enim unquam Prophetarum aut Apostolorum aliquod huiusmodi uotum fecit? Quod si adeo bona & sancta sunt ipsorum uota, quare ipsimet non seruant ea quæ uouerunt, cum subinde alios urgeant ad seruanda uota? Verum age uideamus quidnam faciant aut seruent, aut quid seruare possint. Si enim uouerunt castitatem, non est ulla castitas, quàm animi et corporis uirginitas: quicunque igitur hanc non habet, matrimonium contrahat, quod ipsum quoque castitas est & nominatur. Quare si castitatem seruare uoluerint, caste in uirginitate uiuant, aut matrimonium contrahant, & scortari, inebriari, & gulæ indulgere desinant. Sin uero paupertatem uouerũt, & eam seruare uoluerint, egrediantur è cœnobijs & regum palatijs, relinquant opimas decumas & annuos reditus: non appellentur amplius domini, ac pauperes non tantum nominentur, uerum etiam sint. Quod si obedientiam promiserunt & præstare uotum uolunt, obediant deo & legitimo magistratui, & parentibus, atque diuinis institutis & mandatis: tum certe non diu in hoc uitæ genere, & in his locis manebunt, in quibus tamen ui manere uolunt, & ea facere quæ ex aduerso cum ipsorum uotis

Nõ omnia uota deo placere & seruanda esse.

pugnant. Sententia uero, cuius meminerunt in sua quæstione, in Ecclesiaste 5. capite ita scribitur: Si quid uouisti deo, ne memoreris reddere. Displicet enim ei infidelis & stulta promissio: uel, quia non est beneplacitum ei in stultis. Multoq; melius est non uouere, quàm post uotum promissa non reddere. Hic ergo locus, quo aduersarij utuntur in sua quæstione, potius pro nobis facit, quàm ut nobis aduersetur. Vota enim quæ ex uerbo dei suscipiuntur, & in nostra potestate posita sunt, quæ fiunt ad dei gloriam, aliorum utilitatem, & nostram salutem, non sunt stulta uota: quæcunque uero nõ sunt huius generis, stulta uota sunt: sicut ea quæ ante commemorauimus, monachorum, & ex humanis constitutionibus suscepta uota: ideóque illa deo non probantur. Quod si illi non probantur, tum certe non uolet nos ea suscipere quæ ipsi displicent. Quamobrem hinc sequitur, peccari quidem in stulte uouendo, non autem ideo pergendum esse in ijs quæ stulte & iniuste instituimus: & ita peccatum geminandum esse. Qui incogitanter malum iusiurandum facit, peccat in eo quod incogitanter iurat: grauius autem peccat, si id faciat quod iurauit: sicuti Herodes, qui non tantum temere Herodiadi iurauit, uerum etiam morte Ioannis iuramento suo satisfecit. Vouit alius stulte castitatem, aut paupertatem, uerum postea temporis progressu sentit se uotum hoc non seruare, imò illud sibi scortationis, libidinum, & multorum peccatorum causam esse: hic tum bene iusteque facit, si uotum quod stulte fecit non seruet: hoc est, si causas peccatorum uitet. Atque hoc Patres docent, qui aiunt, In malis promissis, rescinde fidem. Quod incaute uouisti, ne feceris, &c. Quæ autem re diligenter expensa, iuste & honeste cum deo & eius legibus uouimus, promisimus & iurauimus, ea fideliter, constanter & absque dolo malo seruanda sunt. Deus enim iustus ultor est omnium mendacium &

Fidem seruare.

uanorum

uanorum hominum, qui neque deo neque hominibus fidem seruant. Hæc autem serio loquor, ne forte aliqui nostram in structionem peruertant, & dicant, nos leuitatem docere, ut scilicet homines fidem & promissa non seruent. Etenim nos merito & ex animo omnem leuitatem & turpitudinem de testamur.

QVAESTIO LVI.

An non Christus adeo potens sit, ut donum castitatis illis largiri possit, qui illud ex animo desiderant & petunt, præsertim illis qui gnauiter literis incumbunt, laborant, & sibi ipsis in cibo & potu moderantur & subtrahunt?

RESPONSIO.

An deus ideo cuiuis det castitatẽ, quia dare potest.

NOn quæritur hoc loco, neque etiam quærendum est, quid nam deus facere aut non facere possit, sed quidnam de hac re præceperit, & quid uelit. Simul etiam diligenter obseruandum est mandatum hoc, Non tentabis dominum deum tuum. Omnes nouimus cuncta deo esse possibilia, interea tamen sciendum est perpetuo hanc regulam in ecclesia Christi seruatam esse: non sequi ex potentia dei ipsum omnia facere quæ possit: sed diligenter obseruandum esse, quidnam mandet aut præcipiat. Hanc regulam, si hoc loco adhibeamus, apparebit hoc esse dei mandatum, ut is qui sentit se donum castitatis habere, eo utatur, quandoquidem experitur se gratiam accepisse, & posse caste uiuere: et ut qui donum hoc non habet, matrimonium contrahat, neque se periculo exponat, & deum tentet. D. Paulus in hac causa, inqt, se nemini uelle laqueũ inijcere, 1. Cor. 7. Quã uero gnauiter in cœnobijs operã dent literis, quid laborẽt, qua moderatione & abstinentia in cibo & potu utantur, cuiusuis prudentis iudicio discutiendum permitto. Etenim apertum est,

diligentiam in studijs raram apud illos esse, omnes communiter otiari, & delicatis & preciosis cibis & potibus abundare. Speciose quidem hæc ab illis dicuntur, uerum prudentes ipsorum facta inspiciunt, neq; semper sese spirituali hac loquacitate seduci patiuntur, ubi facta adeo aperta & turpia sunt. Quod si qui sponte cæci esse neque uidere uoluerint, suo damno hoc faciant.

QVAESTIO LVII.

Si quis in carcerem conijcitur, & parce alitur, non sentit graues tentationes: an non ergo possibile erit, eum uotum ecclesiæ Christianæ factum seruare posse, qui seipsum abstinentia coerceat?

RESPONSIO.

Adhortatio ad iustitiam cõtra persecutiones.

ETiamsi nullam in his quæstionibus mentionem feciſſetis carcerum & tormentorũ, quibus pios maritos tantum modo matrimonij causa, aut propter alia religionis negotia affligitis, nihilominus & nunc qui hac ætate uiuunt uiri boni scirent, & posteri quoq; sciturí essent, uos plus satis uehementes & nimios esse in persequendo & affligendo. Cogitate, quæso, & quid, & quam ob causam faciatis. Si uobis adeo placet carceribus & parco cibo & potu castigare impudicos & impuros homines, cur non scortatores & adulteros carceribus includitis, non eos qui in matrimonio uiuere statuerunt? Cur non uosipsos consideratis? Cur nõ cibum & potum ebriosis illis, & horribilibus potatoribus subtrahitis? Hos autem nullo supplicio afficitis: sed eos tantum punitis quos nusquam deus punire iußit, & eos quos deus punire iußit, impunitos dimittitis: non estis seueri contra uitia, & res bonas punitis, quas deus punire prohibuit. Cogitate, quæso, ueteres historias omniũ ætatum, & mementote deum nunquam

nunquam ſuos deſeruiſſe: nã quamuis quãdoq; diu ipſos ſub cruce conſeruarit, tandẽ tamen ſuo tẽpore ipſos liberauit, et eos qui ipſos ꝓpter iuſtitiã afflixerunt, grauiter uiſitauit, et horribile ſuppliciũ de illis ſumpſit. Spirituales nominari uultis, quare gratia et clementia magis uos ornaret, quàm hæc aſperitas & crudelitas. Sin autem magis duritia delactamini, cauete ne uobis nimis durus ſit lapis ille angularis in quẽ impingitis, aut in uos aliquando cadat & uos conterat. Deũ metuite, & diligenter prouidete. Omnia ſuum modũ et finẽ habent. Væ, inqt dominus, qui prædaris, quoniã prædaberis etc. Sæpe quidẽ difficilibus temporib. homines minus affectibus perturbantur, ꝓpter dolores morborũ & aliarũ calamitatum: non tamen hinc ſequitur ipſos omni ſua ætate debere extra coniugium uiuere. D. Paulus qui optime nouerat & expertus fuerat gratiam & auxilium dei, & noſtræ quoq; carnis infirmitatem, illis qui in matrimonio ſunt, permiſit ut ad tempus ſecubare poſſint, ita tamen ut id utriuſq; conſenſu fiat, quo ſcilicet in graui aliqua & magna neceſſitate ardentius poſſint orare: ueruntamen addit, Et rurſum in unum conuenite, ne tentet uos ſatanas propter incontinentiam ueſtram. Quare non idem conſilium dant afflictis hominibus, hi qui Apoſtolici nominari uolunt: præſertim cum tot adeo triſtia exempla in conſpectu habeamus, eorũ qui dum caſtitatem profitentur, in ea pericula ſe cõiecerunt, ut tandem animam, honores, corpus & fortunas perdiderint.

QVAESTIO LVIII.

An non ſacerdos qui uxorem (nomine & opinione) contra uotum ſuſceptum ſibi coniungit, grauiter peccet: & an non tale matrimonium ſit geminata ſcortatio, et inceſtus, et iuxta leges, gladio puniendum ſit?

Spiritualium matrimonium legitimũ esse.

MOderatius, quæso, loquimini, nimis hæc oratio turpis est, & uosipsos nimium proditis, & graue iudicium uobis conciliatis. Etenim id iustum & legitimum est matrimonium, quod cum timore dei & propter legitimas causas (quæ Gen. 2. & 3. & 1. Cor. 7. exponuntur) contrahitur ab illis quos nullum impedimentum à deo constitutum separat & disiungit. Vota autem spiritualium nusquam à deo inter matrimonij impedimẽta numerantur: quare illi matrimoniũ contrahere possunt, uotis nihil impedientibus. Ac matrimonia horũ uera et sancta sunt, atq; uxor non tantum nomine & opinione, sed reuera uxor est, nisi nos fallat uerbum dei. Quod autem harũ quæstionum authores, quicunq; tandẽ illi fuerint, legitimũ matrimoniũ talium hominũ scortationem, & quidem geminatam seu duplam scortationem appellant, peccatum est, & turpitudo atq; impudentia, imò ingens blasphemia et flagitiosa libido. Recordentur, quæso, uerborum Esaiæ, qui inquit, Væ illis qui bonum malum, & malum bonum nominant. Matrimonium ab illis contractum qui quondam uotis obstricti fuerunt, geminatam scortationem & incestum nominatis, libidinosam uero & impuram uitam & scortationem spiritualium, qui longe minus quàm alij sua uota seruant, rem leuiculam iudicatis: quid enim hoc nomine patiuntur? quis uel leuiter eos ob hanc causam lædit? Ferro & igni eos extirpare conamini, qui matrimonium contraxerunt: uerum alia sunt horribiliora & dignio ra quæ puniantur, quæ ut pudicis auribus parcam, nominare nolo: quod si adeo studetis punire facinora & flagitia, cur ea non punitis quæ deus ipse, & omnis æquitas punire iubet? Propter matrimonium contractum, ubi nullum est legitimum impedimentum, nemo puniendus est.

Verum

Verum hoc loco obijciunt Paulū in 1. ad Timoth. 5. cap. ita ſcribere, Porrò iuniores uiduas reijce: poſtquā enim laſciuire cœperint aduerſus Chriſtum, nubere uolunt: habentes iudicium ſuum quod primam fidem reiecerint. Verum Apoſtolus non ideo ipſas peccare inquit, quod matrimonū contrahant: ſed ideo (ut aperte inquit) quod primam fidem reiecerint: nēpe quod iuuenes adhuc ſe dicarint miniſterio eccleſiæ, & pollicitæ ſint ſe libere inſeruituras pauperibus, & id nunc non faciant: ideo ipſas iudicium habere, & prætextum, & damnationem atq; opprobrium, quod inconſtantes deprehenſæ ſint in ea functione quam ſuſceperant, non autem propterea quod matrimonium contraxerunt. Ordo autem iuniorum uiduarum in prima eccleſia non eſt conferendus cum ſacerdotum, Monachorum & Monacharum ordine: præſertim cum Diaconia à deo inſtituta fuerit, ſacerdotum autem & Monachorum uitæ genus non habeat deum authorem. Poſtremo Paulus ſeipſum interpretatur, dicens, Velim igitur iuniores uiduas nubere, liberos gignere, &c. Loqui autem Paulum hoc loco etiam de illis quæ ſeſe miniſterio eccleſiæ dicarunt, totus uerborum contextus declarat.

An propter antecedens uotum matrimonium quod deinde contrahitur ſit illegitimum.

Cum olim D. Cyprianus martyr interrogatus fuiſſet, quid agendum eſſet cum illis uirginibus, quæ ſtatum quidem uirginitatis conſeruare ſtatuerant, uerū propter acceſſum uirorum ſiniſtra fama laborabant: conuocata Synodo piorum & doctorum epiſcoporum, ita reſpondit: Si ſe ex fide Chriſto dicauerunt, pudice & caſte ſine ulla fabula perſeuerent. Si autem perſeuerare nolunt uel non poſſunt, melius eſt ut nubant, quàm in ignem delitijs ſuis cadant. Cypr. lib. 1. Epiſt. 11. Quin & D. Auguſtinus De bono uiduitatis cap. 9. uerba Pauli 1. Timoth. 5. interpretatus eſt eodem modo ſicut nos ſupra fecimus: & addit etiam, iſtos hanc cauſam

Cypriani ſententia.

non recte expendere, qui negent huiusmodi matrimonia uera esse coniugia. Præterea in Decretis Distinct. 27. Quidã. hæc Augustini uerba citantur, Quidam nubentes post uotum asserunt adulteras esse, ego autem dico uobis quod grauiter peccant qui tales diuidunt. Verum non egemus humanis testimonijs, quandoquidem diuina nobis abunde suppetunt, quæ aperte iubent matrimonium contrahere, etiam illos qui aliquo modo uoto ante obstricti fuerunt.

Contra eos qui matrimonium uituperant & interdicũt.

Quare ut statuamus, committo hoc loco prudentum iudicio, ut statuant, an non omnes hi qui matrimoniũ non modo interdicunt, uerum etiam matrimonia contracta separant, uituperant, & geminatam scortationem esse criminantur, longe ante à Paulo depicti & damnati sint, dum pios hortatur, ut ab ipsis caueant, idq; his uerbis: Spiritus autem diserte dicit, quod postremis temporibus desciscent quidam à fide spiritibus seductoribus attendentes & doctrinis dæmoniorum: per hypocrisim falsiloquorũ, quibus cauterio inusta est conscientia: prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abstinere à cibis, &c. 1. Tim. 4.

XVI. DE EXTREMA VNCTIONE.

QVAESTIO LIX.

An utantur extrema unctione?

RESPONSIO.

Quid de unctione tradant sacræ literæ.

VNctionis meminit Marcus 6. cap. Euangelij sui, et D. Iacobus 5 cap. Verum unctio illa longe diuersa est ab ista qua nostra ætate ægroti, de quorum uita desperatur, ex consuetudine Romanæ ecclesiæ unguntur. Etenim in prima ecclesia Apostoli & eorum successores ægros oleo ungebant, & illi hac ratione sanabãtur. Erat autem id peculiare donum

donum dei, & quasi per miraculum fiebat: sicuti etiam prima ecclesia peculiare donum sanationis à deo accepit. Eadē quoq; ratio fuit doni linguarum. Apostoli enim manus imponebant fidelibus, illi uero spiritum sanctum accipiebant, & peregrinis linguis loquebantur. Verum hoc donum linguarum, atq; alterum sanationis per unctionem olei, cessauit in ecclesia: ideoq; quoad hanc partem externa cerimonia manuum impositionis & unctionis cessauit. Omnes uero norunt nonnulla fuisse in prima ecclesia, ueluti miraculorum seu sanationis donum, quæ tum quidem necessaria fuerunt, & signa erant, quæ initio propter infideles ad confirmandam religionem fieri oportebat: nunc uero postea quam iam olim fides per doctrinam & miracula propagata & confirmata est, cessarunt, & non amplius in usu sunt. Ideoq; Romanæ ecclesiæ unctio non confirmatur, propterea quod Marcus & Iacobus unctionis meminerunt. Nam illa longe alia fuit. Alia autem & ab hac diuersa unctio est Romanæ ecclesiæ unctio, non à Christo aut Apostolis, sed diu post Apostolorum ætatem ab hominibus instituta. Apostoli oleo ungebant ad sanandum. Pontificij oleo ungunt, postquam arbitrantur aliquem non amplius è morbo conualiturum: neq; ad corporis sanitatem, sed ad peccatorum remissionem ungunt. Præterea ante unctionem complures sanctos inuocant, qui diu post Apostolorū ætatem nati sunt. Plures præterea cerimoniæ in unctione adhibentur, quæ satis declarant ipsam non ab Apostolis institutā. Quid dicā de eo quod potissimum est in unctione, quod ægros oleo ungentes, aiunt, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ungo te oleo sacrato, ut per hanc unctionem accipias plenā remissionem peccatorum tuorum? Quod nam autem fundamentum, quæ forma huius instituti, in uerbis atq; institutis Christi & Apostolorum ostendi poterit? Apostoli plenam

Act 8.10. & 19.

remissionem peccatorũ sanguini Christi, non oleo, attribuerunt. Quamobrem uel ex hac una re fidelibus apparet, iure nos hac unctione non uti, neq; uti posse. Præterea cum firmiter credamus unicum Baptismum, quo semel aqua in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti baptizati sumus, efficacem esse per spiritum sanctum, per omnem uitam ad mortem usq;, non arbitramur necessarium esse, ut in ipsa morte denuo rebaptizemur extremo Baptismo (ita nanq; unctionem nominant) ab hominibus instituto. Veruntamen Christiano more & ritu ægros ac mõribundos inuisimus, instituimus, monemus, hortamur, cosolamur, confirmamus, oramus etiam cum illis & apud eos, atque ex charitate curam ipsorum agimus, &c.

XVII.

DE MAGISTRATV ET legitima obedientia.

QVAESTIO LX.

An non obediendum sit spiritualibus & ciuilibus magistratibus, præsertim in illis rebus quæ non sunt cõtra deum?

RESPONSIO.

De spirituali magistratu.

DIstinguimus hoc loco ciuiles & spirituales magistratus, ac dicimus, doctores seu ecclesiarum antistites ministros esse, non primores aut magistratus instar regũ, principum & senatorum, ac illis obediendum esse ut ministris Christi, quando Christi ministri sunt, Christi uerbum prædicant, & Christiana ministeria obeunt. Ita nanq; Paulus docet his uerbis, Rogamus autẽ uos, fratres, ut agnoscatis eos qui laborant inter uos, & qui præsunt uobis in domino, & admonent uos, ut habeatis illos in summo pretio per charitatem,

1. Thes. 5.

tatem, propter opus ipsorum: pacem colite cum eis. Ac rursus: Obedite ijs qui præsunt uobis, & obsecundate: uigilant enim ipsi pro animabus uestris, tanquam rationem reddituri, ut cum gaudio hoc faciant. Similiter Christus ad discipulos & Apostolos ait, Qui uos audit, me audit. Apostolis quoque diserte prohibuit, ne sic dominentur quemadmodũ ciuiles magistratus gentibus dominantur. Legantur hac de re firma testimonia, Matth. 18. & 20. & Lucæ 22. cap. quo loco dominus aperte ait, Reges gentium dominantur eis: & qui potestatem habent in eas, benefici uocantur. Vos autem non ita. Quamobrem Episcoporum & eorum qui in ecclesia præsunt, ciuilis potestas seu imperium nullum fundamentum habet uerbi dei: quod scilicet à Christo ipsis iunctum sit ut simul administrent ciuilem gladium instar principum huius mundi, & ut spiritualem gladium, hoc est uerbum dei, tanquã ministri à mũdo separati, administrent & prædicent. D. Petrus Act. 6. de seipso & reliquis Apostolis ait, Non est æquum, nos derelicto sermone dei, ministrare mensis, hoc est, alendis pauperibus, &c. Attamen uerisimilius est, Apostolos potius pauperum curam quàm imperium suscepturos fuisse, nisi experti essent hoc non conuenire. Quare certum est, ipsos ciuilem potestatem, si ipsis oblata esset, neutiquam suscepturos fuisse. Quinetiam nostra ætate experientia docet, hæc duo non posse commode coniungi. Veruntamen Christiani huiusmodi magistratui subiecti non ideo turbas excitant, sed in omnibus obtemperant quæ non sunt contra deum: si autem aliquid contra deum præcipiatur, non ideo tumultuantur, sed ea quæ deus iubet faciunt, non ea quæ contra deum præcipiuntur. Hebr. 13. Lucæ 10. Ioan. 13.

De ciuili magistratu.

Ciuili autem potestati, ueluti sunt reges, imperatores, principes, senatores, præfecti, & his qui publico munere funguntur, quocunq; nomine apellentur, uerbum dei obtem

perare præcipit in omnibus rebus quæ nõ sunt cõtra deum: quinetiã diuinam ultionem omnibus illis minatur, qui inobedientes, morosi & contumaces aduersus magistratus fuerint. Præterea uerbo dei docetur, magistratus à deo institutos esse, & omnes propter deum esse honorandos, & ipsos pro dei ministris agnoscendos esse, qui bonis ad bonum, malis ad pœnam constituti sint: eos tanquã parentes amandos esse, decentem honorem & reuerentiam illis esse exhibendam: uectigalia, & tributa, honorem, iusiurandum, fidem, & alia corporea officia, quæ illis debentur, sponte, fideliter & bene atque legitime præstanda & persoluenda esse. Hæc autem confirmantur uerbi dei apertis testimonijs, quæ negari non possunt, Matth. 17. & 22. 1. Pet. 2. ad Romanos 13. Tit. 1. In epistola uero ad Timotheũ mandat Paulus, ut deum fideliter oremus pro illis qui nobis præsunt. Quemadmodum uero Apostoli magistratui propter deum obtemperarunt: ita æquũ est ut episcopi, & qui præsunt in ecclesia, doctores & concionatores magistratui obtemperent & obediant, sicuti etiam Ierem. 1. cap docet: ita tamen ut ipsis uerbum dei libere prædicent. Quod si aliqui hæc facere noluerint, hi 2. epist. Pet. 2. cap. & epist. Iudæ legant, et obseruent quid Apostoli de ipsis sentiant. Contra hos autem qui aduersus principes & magistratus suos seditiones excitant, et latronibus deteriores sunt, multa passim atrocia scribuntur in Prouerbijs Solomonis.

QVAESTIO LXI.

Si magistratus ciuilis aliquid instituat, proferat, præcipiat, aut uetet, quod sit contra uniuersalem Christianam ecclesiam, an huic contra ecclesiam et eius constitutiones obtemperandum sit?

RESPON-

RESPONSIO.

DEnuo distinguendum est inter ueram Christianam ecclesiam, & eam quæ non est uera ecclesia, etsi eius nomen habeat. Etenim ecclesia Christiana uere illud est quod nominatur, nempe uniuersalis sancta Christi ecclesia in his terris, cœtus omnium qui uere in Christum credunt, nempe qui per Christum omnem in deo spem collocant, & duntaxat Christum in uerbo suo audiunt, in ipso omnẽ plenitudinem quærunt, & ei innocentia & uera fide seruiunt. Contra hanc ecclesiam nihil ulli magistratus constituere, iubere aut uetare possunt: si autem aliquid contra instituunt, iubent aut uetant, in illis rebus fideles norũt deo potius obediendum esse quàm hominibus. Sæpe equidem & præsertim in initio Christianæ religionis, à regibus & Imperatoribus grauia edicta contra Christianos edita sunt: uerum Christiani, qui alioqui sponte & libenter in omnibus corporeis rebus dominis suis obtemperabant, his non obtemperarunt in illis rebus quæ erant contra fidem. Etenim neque simulachra coluerunt, neq; in templis Romanis sacrificarunt, aut eorum sacris communicarunt. Quamobrem multi ipsorum, quod inobedientes essent, interfecti sunt Cõtra autem deus hos magistratus, qui ecclesiam afflixerunt, grauiter deinde suo tempore uisitauit & punijt: sicuti multis docent Eusebius & Orosius in suis historijs. Præclara etiam huius rei exempla habemus Danielis 2.3. & 6. cap. item in Machabæorum historia, & præsertim in Apostolorum Actis.

Magistratus nihil præcipere possunt contra Christianam ecclesiam.

Deinde uero, ut supra diximus, Christiana ecclesia non est illud quod dicitur, neque ea habet quæ ecclesiam habere iam diximus. Etenim nonnulli hominum neque deo, neq; Christo, neq; uerbo eius adhærent: & præter Christũ aliis in rebus spem collocant: uarias leges & constitutiones con

Contra falsam ecclesiam magistratus statuere & agere possunt.

dunt de religione & cultu dei, & iuxta illas omnia agunt: præterea multorum hominum factiones sibi coniungunt, ac seipsos ecclesiam catholicam nominant. Magistratus itaque pius, à deo & ex eius uerbo potestatem habet in hanc ecclesiam, ut ea aboleat quæ contra deum & uerbum eius instituta sunt. Nam Dauid, Solomon, Iosaphat, Ezechias, Iosias, Constantinus, & alij pij principes, uiua huius rei exempla sunt. Quamobrem cum pij magistratus in bonum ueritatis & ecclesiæ reformationes, instituta & decreta faciunt quæ uerbo dei conueniunt, illis ab omnibus obtemperandum est, & si usus atque necessitas postulet, magistratus iuuandi sunt: qui enim hoc non faciunt, uerum suos magistratus deserunt, aut contra eos tumultuantur, à deo punientur.

Scopus huius ultimæ Quæstionis.

Verum Pontifices, & qui præsunt in Romana ecclesia, ut dignitatem suam & fastum, diuitias, uoluptates & errores tueri & defendere possent, hactenus principibus, potentibus & magistratibus persuaserunt, & eos ui huc adegerunt, ut omnino putarent, omnem reformationem & leges quæ ipsis aduersabantur, sanctæ ecclesiæ, deo & iustitiæ ac æquitati aduersari. Atque hac ratione non tantum retinuerunt suam pompam & fastum, uerum etiam quotidie auxerunt. Cum potius seipsos examinare debuissent, & ecclesiæ negotia, atque calamitates afflicti orbis Christiani, quibus nunc opprimitur, expendere, & curare, atque magistratus ubique non tantum ad reformationem hortari, uerum etiam seipsos adiutores reformationis polliceri, imò à seipsis reformatione incipere. Etenim nunc extrema sunt tempora, & non longe abest seuerum iudicium domini, in quo grauem rationem reddent sui officij. Beati uero qui non impediuntur corruptibilibus rebus huius mundi, uerum

rum recte se præparant ad aduentum iudicis sui, qui iudicaturus est uiuos & mortuos.

CONCLVSIO.

HACTENVS, *deo adiuuante, cui gratias ago, respondi 61. Quæstionibus, & eos qui hæc cognoscere desiderant, instituti quomodo ad has Quæstiones respondere debeant, si fortè illis proponantur, & eorum responsio postuletur: ac simul docui quid de singulis quæstionibus sentiendum sit, quomodo Christianã ueritatẽ confiteri, & fãlsam religionẽ atq; doctrinam cauere oporteat. Quamobrẽ deinceps per Christum Iesum hortor uos qui Euangelicæ ueritati adhærere, neq; ad Romanam ecclesiam reuerti statuistis, ut moderate & fortiter respondeatis, & constanter perseueretis in simplici ueritate, neque cruce & afflictionibus, quæ uobis quotidie magis imminent, absterreamini. Cogitate enim fratres, religionem & doctrinam, cuius causa persecutiones, odia, insidias, & aduersas res toleratis, non ab 800. demum annis, sed à Christi ætate, imò à mundi exordio incœpisse, ac in sacris literis fundatam, & ex ipsis desumptam, esse ueram, antiquam & indubitatam fidem. Ex aduerso autem iamdudum edocti sumus, hodiernæ Romanæ ecclesiæ doctrinam & religionem, nõ tantæ uetustatis esse, sed interea temporis nouam planè ab hominibus ex ipsorũ arbitratu, in Concilijs & Decretis seu hominum constitutionibus (quibus Christus frustra se coli dixit) inchoatam & institutam, confirmatam etiam & inter homines propagatam esse. Nostra doctrina & religio deo omnem honorem uendicat: iustitiam & uitam æternam quærit duntaxat in unico uero dei filio domino nostro Iesu Christo. Et quoniam in ipso omnem plenitudinẽ habemus, nõ habemus*

creaturarum rationem, quæ tamen etiam ipſæ nos ad Chriſtum remittunt. Huic in ſpiritu & ueritate ſeruimus, non pompa aliqua eccleſiaſtica, ſed inuocatione, laudibus, gratiarum actione: itē iuſtitia, charitate, puritate, fide, miſericordia. Cōmunis autem intelligentia omnium piorum docet, in his rebus quas commemorauimus ueram & deo acceptam religionem poſitam eſſe. Porrò ex aduerſo omnes non immerito conqueruntur & uociferantur contra ſacerdotum Romanæ eccleſiæ incertam doctrinam & nullis rationibus confirmatam: contra turpem ipſorum uitam, contra intoleranda onera, contra faſtū & tyrannidē. Quamobrem etſi illi à ſuis partibus habent ſummam potentiam, gloriam & dignitatem, præterea gratiam, factiones & auxilia hominum potentum & magnæ authoritatis: è contra uero homines inopes, qui Chriſtum & uerbum eius amplexi ſunt, neq; amplius Romanam eccleſiam ſequi uolunt, perſecutionem patiuntur, conijciuntur in carceres, eijciuntur in exilium, nonnunquam uero interficiuntur: & interea nullum ferè auxilium & liberatio à deo apparet, ita ut deus aduerſarijs propitius, nobis iratus uideatur, ut qui exigua felicitate & authoritate in hac uita præditi ſimus. Hæc inquā cum fiunt, cogitandū eſt iſta nobis multo ante à deo prædicta eſſe per Prophetas & Apoſtolos, atq; etiā per filiū eius dominū noſtrū Ieſum Chriſtū, qui paſſus eſt, & nobis exemplum præbuit, ut ipſius ueſtigia imitemur. Quamobrē non dolendū eſt propter opes, amicos, corpus & uitam. Ampliſſimas enim promiſſiones gratiæ, auxilij & mercedis dominus nobis dedit, ſi modo in finē pſeueremus. Perſecutoribus uero grauiter minatus eſt, quæ minæ ſuo tempore illis haud dubie intolerandæ erunt. Scimus præterea oia in his terris inſtabilia, fluxa & corruptioni eſſe obnoxia: itaq; alioqui

nobis

nobis cito ex hac uita migrandum erit, neque nos quicquam amici, potentia & opes iuuare atque tueri poterunt. Omnes mori & ad tribunal Christi apparere oportet, coram quo omnia peccata & omnia occulta patefient. Quam obrem nemini doleat, etiamsi in præsenti uita Euangelij causa iniuste contumelijs afficiatur Omnium enim hominū culpa & innocentia in die illo apparebit. Audite, quæso, quo pacto Christus dominus nos consoletur, quàm amanter nos alloquatur: Beati (inquit) qui persecutionem patiuntur iustitiæ causa, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati eritis quū conuitiati fuerint uobis, & uos persequuti fuerint, & dixerint quiduis mali aduersus uos mentientes, mea causa. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra multa est in cœlis. Ita enim persecuti fuerunt Prophetas qui fuerunt ante uos. Non est discipulus supra magistrum, neque seruus supra dominum suum. Si ipsum patremfamiliâs Beelzebul uocauerunt, quanto magis domesticos eius? Ne igitur timueritis eos: nihil enim est opertum quod non sit reuelandum. Et ne timueritis uobis ab his qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare: sed timete potius eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna. Nonne duo passerculi assario ueneunt, & unus ex eis non cadet hui sine patre uestro? Vestri uero etiam capilli capitis omnes numerati sunt. Ne igitur timueritis, multis passerculis præstatis uos Omnis igitur qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eū coram Patre meo qui est in cœlis. Quisquis autem negauerit me coram hominibus, negabo eum & ego coram Patre meo qui est in cœlis. Qui amat patrem aut matrem supra me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, ac sequitur me à tergo, nō est me dignus. Qui inuenerit animam suam, perdet eam: & qui perdiderit animam suam mea causa, inueniet eam. Huic doctrinæ ue

ræ & plenæ consolatione cõfidamus fratres, & gratiæ atq; uirtuti Christi ex animo nitamur, nomẽ atq; doctrinã ipsius cõfidenter confiteamur, & quæ huic aduersantur constanter negemus: ipsum inuocemus, & petamus gratiam & spiritum eius, ut in eius uerbo ad mortem usque perseuerare possimus. Simul quoq; omnes ardenter dominũ oremus, ut omnũ misereatur, & ipsos cõfirmet, qui unà cum omnibus fidelibus ipsius causa tentationes & persecutiões sustinent: & ut omnũ persecutorũ corda illuminet, ut unà cum Diuo Paulo uideant & intelligant, durũ esse ipsis calcitrare contra stimulum. Deus cœlestis pater, afflictæ & oppressæ ecclesiæ suæ misereatur, & eam breui aduentu suo cõsoletur, per Christum Iesum dominum nostrum. Amen.